

Je
1272









19-

20

EMUNDI MERILLII
 TRICASSINI JURISCONSULTI, REGIS CHRISTIANISSIMI
 QUONDAM CONSILIARII ET IN ACADEMIA BITURICENSI
 ANTECESSORIS FAMIGERATISSIMI
 NOTAE PHILOLOGICAE
 IN
 PASSIONEM CHRISTI

P 516.

PRÆFATUS EST
 ANTONIUS JOSEPHUS GILGENS JC.
 IN ALMA
 GENERALIS STUDII COLONIENSIS AD RHENUM
 UNIVERSITATE
 PROFESSOR JURIS CIVILIS.



Je 1272

4. 4. 06.

COLONIÆ FRANCOFURTI ET LIPSIAE
 IN OFFICINA METTERNICHIANA.
 MDCCLXX.



*Nunc Pueri in scholis ludunt, iuvenes videntur in foro,
¶ quod turpius est, quod quisquam perperam discit, in senectute
confiteri non vult.*

PETRONIUS.

PRÆ-

PRAEFATIO.

Cum laboribus meis practicis indies crescentibus, melioris oeconomiae intuitu Scholam Juridicam meam claudere, meque oneroso, ast non lucroso docendi munere per quinquennium fat mihi longo tempore mancipatum subtrahere cogitabam in posterum: magnus quidam Jurisconsultus, in Universitate Superioris Germaniae nostrae actu legens, viso *Discursu meo Academico Praecursorio, de necessariis subsidiis in jure Romano incipientium* lectaque editione tertia, ita ipsi tantillus ille conatus Academicus placuit, ut litteris 29na Julii anni currentis ad me exaratis, ad ulteriorem culturam Juris Romani studiique Academici, me excitaret animaretque, hisce formalibus se se exprimens, *perge qua cepisti ire via, perge in haeresi, scilicet Jus Romanum docere purum, & perscrutare fontes, & origines & legum causas; futura sudoris mei Academici praemia:*

mihī prognosticans. Et Ecce! vates erat vir ille,
Etenim Reverendissimus & Celsissimus Prin-
ceps ac Dominus Dei Gratia JACOBUS,
Monasteriorum Malmundariensis & Stabu-
lensis Abbas, Sacri Romani Imperii Prin-
ceps Comes Longinensis, Dominus ac Prin-
ceps meus longe Clementissimus, me in *Con-*
siliarium Suae Celsitudinis *Intimum*, denuntiavit,
& sub 14^{ta} Augusti Gratiōssimum desuper de-
mandavit expediri gratiae Decretum. Pro qua mihi
praestita insigni gratia, humillimas quas debui, egi,
& nunc ago gratias, & invigilando Celsissimi
Principis ac Domini mei interesse, quoad in vivis
ero superstes acturus.

Hic itaque inflammatus incitamentis, horas
meas nunc in severioribus studiis duplicandas fore
statui, partim ut afflictis magis profim in foro, par-
tim

tim ut juventuti mihi concreditaе utilior sim in schola,
statui itidem ad imitationem Professoris Caesareo Re-
gii Consiliarii Aulici, *Dominide Martini*, Viri undique
& nominis & famae celebritate Clarissimi, ad tex-
tum Institutionum Juris Romani, hocce anno Acade-
mico mea aperire Collegia, ordine quo id ipsum desig-
navi inferius, & ad *Gundlingii* olim in Academia
Hallensi Antecessoris Celeberrimi, Discursum ad tex-
tum Institutionum, cujus tertiae editioni nuperi in
vernacula nostra Praefatus sum, indicavi latius.

Quid verò me impullerit, ut *Emundi Meril-*
lii, quondam Antecessoris Beruticensis famigeratissimi
Notas Philologicas in Passionem Christi,
his locis multis non visas, publicae luci novo prelo fa-
cerem, haec praecipua causa fuit, ut nempe & Theo-
logis & Juristis, minime vero formatis viris me scientia
superioribus sed & incipientibus tantum prodessem,
in quorum utilitatem, has lineas solummodo duxui.

Postquam enim adverri, egregias, Merillii Notas Philologicas in Passionem Christi, plurima parte ex historia antiquitatum Juris Romani esse depromptas, & quam contermina (ut verbis *Merillii* utar) Theologiae sit Jurisprudencia, si non latifundium ingredi, saltem communes fines ambire liceat: has notas mei fori esse putavi.

Accedit, quod ipse *Merillius* fuerit Professor Catholicus, & quidem non vulgaris, verum praestantissimus, qui apud Magnum illum *Gabrielem Albaspinum* gallice *L'Aubespine* Orleanensem Episcopum, Acuratissimum illum, *Observationum sacrarum de veteribus Ecclesiae ritibus auctorem lib. I. obs. III.* illius amicus & doctissimus audit, à quo ipso jam jam laudato immortalis famae Episcopo, excitatus pleraque in Sacro Codice Novi Testamenti, ex legibus & majoribus Populi Romani lucem mutuari posse, id ipsum impetravit, ut *Merillius* praesentes Notas Philologi-

cas

cas in Passionem Christi scripserit. Et quam felici haec elucubratio successerit eventum, ex eo patet, quod rigorosissimum examen nostrorum Theologorum Catholicorum subirent, hae notae, & sub censura totius Facultatis Theologicae 7tima Jan. 1632. typis communi omnium litteratorum applausu prodierint.

Iis enim probe perpenſis, quod maxima Myste-
ria Vitae & Passionis Christi, in Territoriis Provin-
ciisque Romanorum peracta consummataque fuerint,
ipsique Apostoli post mortem Christi Sanctissimi Re-
demptoris Nostri, in orbe Romano ambulaverint, &
cum ipsis Romanis sub illorum Magistratibus conver-
sati fuerint: quid clarius in oculos cadit, quam ex
historia antiquitatum, ex moribus legibusque Roma-
norum, Passioni Christi, & actis Apostolorum locis
congruentibus ingens lumen afferri posse.

Quis enim ex Theologis, APOSTOLUM PAULUM in-
telligere poterit, dum coram Praeside Romano consti-
tu-

tutus excipit, *civis Romanus sum*, *Caesarem appello*, nisi Juris Romani stipatus fuerit adjutorio, Praesidibus Provinciarum potestatem non fuisse, quidquam in caput civis Romani statuendi. Jamtum enim sub libera Republica inter praerogativas civis Romani, non postremum erat, non posse quenquam de civitate tolli sine judicio: de capite non modo ferri, sed nec judicari quidem posse, nisi commitiis centuriatis. *Cicero pro Sextio*, adeoque vox illa *Civis Romanus sum*, saepe multis, in ultimis terris, opem inter barbaros & salutem tulit, *Cicero in Verr.*

Ex eo, quod Romani & Judaei debitores suos durissime tractarent, & in carceres conjicerent; intelligitur sequens scripturae locus, *servus nequam non dimittitur ex carcere, donec ultimum obulum solverit*. Totum enim debitum solvendum erat. Qui ergo vel obulum adhuc debet, de Jure stricto Romano non liberatur, neque repetere potest Chyrographum, usque dum hunc obulum solverit. Et ex hoc facile capi potest, qualiter in-

intelligendus sit Gentium APOSTOLUS, *ad Coloffos. cap.*
3. v. 14. Chyrographum deletum est, & cruci affixum. Sci-
licet totum debitum pro humano genere solutum est.

Edidit praeterea *Merillius Observationum Juris*
Romani libros VIII. quos saepe cum summa util-
itate pervolvo. Placent mihi, quae de tempore puber-
tatis indefinito, ex Jure ante-Justiniano attulit, ad
expositionem loci Sancti PAULI APOSTOLI infra notati
sequenti modo discursum formans.

Ulpiani temporibus, & ante L. ult. Cod. quand. tu-
tor. vel curat. esse defn. non erat satis definitum tempus
pubertatis, cum alii numero annorum, alii ex aspectu
corporis, alii ex utroque pubertatem aestimarent. *Ul-*
pianus tit. 11. in fin. Ideo testatores diversum tempus
exprimebant, cum ad pubertatem filiis testamento ca-
vere vellent: modo decimum quartum annum *L. si cui*
legetur D. de legat. 1. L. si Titio 22. quand. dies legat.
(quod erat primum tempus pubertatis) modo deci-
mum octavum annum *L. pater 101. §. 3. de condit. & de-*
monst.

monst. (quod erat tempus plenae pubertatis) cum ea
 aetate plerique pubescant PAULUS *L. 3. sent. tit. 4. de te-*
stament. modo decimum sextum *L. uxorem 34. §. un. D.*
de leg. 3. L. Publius 36. §. 1. & L. non putabam 48. D. de
condit. & demonst. L. seijus 46. D. ad Setum Trebell. L.
Thais 41. §. 10. 12. 13. de fidei commiss. libertat.
 (quod erat medium tempus inter primam & ple-
 nam pubertatem) In iis locis nihil mutandum est,
 nam ita varie tempus exprimebant secundum testa-
 mentariorum sententiam , ut huic vel illi senten-
 tiae magis adherebant. Modo pubertatis tempus
 indefinitum relinquebant, *veluti cum ad pubertatem*
venerit , L. Pater 54. D. de hered. instituend. L.
cum ex filio 39. D. de vulg. & pub. licet autem
 pater annos pubertatis egressus fuisset, adveniente
 pubertate tutela finiebatur, atque ita debet intel-
 ligi, Sanctus APOSTOLUS PAULUS ad Galatas cap. 4.
Sub tutoribus, & actoribus est, usque ad praefinitum
tempus à patre. Pater quidem poterat tempus quod
 vel-

vellet liberis praestituere; puta ut tutores haberet, usque ad annum decimum quartum, decimum sextum, vel decimum octavum, vel etiam posteriores: pubertate tamen adveniente tutela finiebatur, nec ad tempus expressum perdurabat, si interim filius pubes existeret *cit. L. 101. §. 3. D. de condit. & demonstr.* Ita poterat pater in pupillari substitutione longius tempus comprehendere, puta usque ad vicesimum vel vicesimum quintum annum liberis substituere. *L. in pupillari 14. D. de vulg. & pupill. substitut.* hucusque *Merillius obs. 5. cap. XVI. per totam.* S. LUCAS cap. 12. ait. *Beati Servi illi, quos quum venerit Dominus invenerit vigilantes; amen dico vobis, quod praecinget se, & faciet discumbere illos, & transiens ministrabit illis.* Fortasse hunc locum novi testamenti, ex moribus Romanorum, acurate fatis exposuit, acerrimi ingenii interpres *Merillius* noster, quem vide sis, *obs. lib. VI. cap. XX.*

Haec & similia ex Jure Romano dilucidavit

Merillius, ex quibus patescit, ipsis Theologiae Candidatis, Collegia Juris Romani frequentandi, propter ipsum Studium Scripturificum novi testamenti, & necessitatem & utilitatem ipsam efflagitare.

Illa itaque sunt, quae candido animo aureis Notis Merillii in Passionem Christi praefatus sum. Zoilos & exteriora, quae animum meum quocunque modo turbare valent, in posterum non amplius curans. Nunc enim *Lucium Senecam*, nunc *Iustum Lipsium* lego, ex quibus haec hausi: *Cede Deo, cede tempori, & si bonus civis es, te ipsum mollioribus, & mitioribus fatis reserva.*

Tu interea benevole Lector, & praesentia *Merillii* egregia, & mea minima scripta, in bonam partem sumas. Vale & Studio Generali Almae nostrae semper fave.

Scribebam in Feriis Magnis Academicis.

Hac 20. Octobris 1769.

ANTONIUS JOSEPHUS GILGENS.

EMUNDI MERILLII
JURISCONSULTI
CONSILIARII REGII
ANTECESSORIS IN ACADEMIA
BITURIGUM PRIMICERII.
*NOTAE PHILOLOGICAE
IN PASSIONEM CHRISTI.*



EMUNDI MERKELII

JURISCONSULTI

CONSILIARII REGII

PROFESSORIS IN ACADEMIA

BITURIGIENSIS

IN THEOLOGICA

IN PRAESIDIUM CHURCH

IN PRAESIDIUM CHURCH

IN PRAESIDIUM CHURCH

IN PRAESIDIUM CHURCH

IN PRAESIDIUM CHURCH

IN PRAESIDIUM CHURCH

IN PRAESIDIUM CHURCH

IN PRAESIDIUM CHURCH

IN PRAESIDIUM CHURCH

IN PRAESIDIUM CHURCH

IN PRAESIDIUM CHURCH

IN PRAESIDIUM CHURCH

IN PRAESIDIUM CHURCH

IN PRAESIDIUM CHURCH



ILLUSTRISS. AMPLISS. VIRO
CAROLO ALBASPINO

MARCHIONI DE CHASTEAU-NEUF
PROCANCELLARIO, ET REGIORUM ORDINUM
CANCELLARIO.

EMUNDUS MERILLIUS.

HAUD semper errat fama, aliquando & eligit. Dudum percrebuerat fama, te ad illum summum apicem dignitatum evectum iri: famae auspicius iudicium Regis accessit, & te evectum vidimus. Non errabat fama, cum te eligebat hominem cordatum, Regi fidum, obeundis Regni negotiis innutritum, & firmatum ob plurimas legationes feliciter gestas, exteris gratiosum. Inde cogitabam aliquod de nostris ἀποστέλλω mittere. Nae aliter inofficiosus essem haud uno tuorum beneficio astrictus. Siquidem me parens tuus illustrissimus Regii consistorii assessor primicerius, & Rectorum ordinum Cancellarius, ex Academia Cadurcensi evocatum in hanc Bituricensis mandató Regis introduxerat, tuusque frater Aurelianensis Episcopus, magno mei desiderio (sed heu magno Ecclesiasticarum observationum damno) nuper vivis ereptus, amici sui nomine dignabatur, quod & scriptis perpetuò victuris testari voluit. Erat ille ἰσχυροδωτης meus, cum aliquando in praeclarissimam huius civitatis vestram domum studiorum causá secederet, movebat sagacis vir ingenii, pleraque in sacris codicibus Novi Testamenti ex legibus, & maioribus populi Romani lucem posse nutuari: idque à me praestari oportere contendeat, quod seculares disciplinae omnes uni dominae Theologiae ancillari, & divinis rebus adminiculari debeant, tantumque hortatu suo effecerat, ut notas Philologicas in narrationem passionis dominicae scriptas, paulo ante excessum viderit. Habe igitur illas, quales emitti voluit. Vererer te tanta negotia sustinentem, vel minimo lectionis avocamento distringere: ni talis esset, quae tibi, & aliis quantavis dignitate praesulgentibus, saepe, ac saepius in memoriam revocata prodesse possit: quaeque lectoris operam non levi aliqua delectatione, sed ingentis, aeternique praemii muneratione sit pensatura. Vale. Avarici Biturigum. Pridie Calend. Apriles. Anno MDGXXXI.

A 2

APPRO-

APPROBATIO


DOCT. S. THEOLOG. FACULT.

Nos infra subscripti Doctores in sacra Facultate Theologiae notum, testatumque esse desideravimus hac praesenti scheda, opus aureolum, cui titulus est, *Emundi Merillii, Rectoris, Consilarii Regii, Antecessoris in Academia Bituricensi, Notae Philologicae in Passionem Christi*, à nobis diligenter, & magnum cum delectatione fuisse perlectum, & nihil in eo contineri, quod tantillum adverferetur doctrinae orthodoxae, & Catholicae: imo verò, quia per multa extant repetita tum ex Jure civili, tum ex historia Romana, quae mirificè illustrant contextum Evangelicum Passionis Dominicae, judicavimus dignissimum esse, quod in lucem proferatur, tanquam Minerva illa Phidiae. In cujus rei testificationem, syngrapham huic tabellae adjecimus die 7. mensis Januarii, anni millesimi sexcentesimi trigesimali secundi.

DAULTRUY.

MAQUERAY.

EMUN.



EMUNDI MERILLII J. C. NOTAE PHILOLOGICAE

IN PASSIONEM CHRISTI.

Ad Cap. 18. Joan. v. 3. & 12.

Judas ergo cum accepisset cohortem.

COHORS fuit praetoria, quam habebant Praefides in Provinciis, seu Legati Caesaris. Adeone verò parata erat illa cohors Judae, ut post acceptum traditionis, & indicinae praemium, statim tot milites ex cohorte congregari, ipsique adesse potuerint? Josephus *lib. 2. cap. 8. de bello Judaico* ait: Conveniente multitudine ad diem festum Azymorum in Hierosolymam, stetit Romanam cohortem super porticum templi, & subjicit: *milites in armis festos dies custodiebant, ne quid novi moliretur multitudo conveniens.* Idem *lib. 6. cap. 6. Stabit enim semper in ipsa (Antonia) cohors Romanorum: Et dispositi milites per porticus cum armis, diebus festis, populum, ne quid novaretur, observabant. Actorum cap. 21. v. 32.* Cohors ex templo ad seditionem coercendam accurrit. Videntur ergo Principes Judaeorum, post consilium habitum, quomodo Jesum tenerent & occiderent per ministros, & officiales jure à Pilato Praefide petiisse cohortem, ut Jesum seditionis auctorem, cum discipulis & sectatoribus, prehenderent. Prius ergo Judas acceperat à Pontificibus, & Pharisaeis ministros, deinde à Pilato Tribunum, cohortem, Et eam quidem Judaei adjici voluerant, ne si tantum ministri Judaeorum Christum ducerent, populus eum eriperet. Augustinus *tract. 112. in Joan.*

in *Joan. Cohors non Judaeorum, sed militum fuit, à Praefide. Itaque intelligitur accepta, tanquam ad tenendum reum, servato ordine legitima potestatis, ut nullus tenentibus auderet obistere.* Aliis locis; ubi Praefides non agebant, magistratus municipales, licet non haberent potestatem animadvertendi in facinorosos homines, nihilominus habebant prehensionem, eosque prehensos, & vinctos ad Praefidem trans mittebant, *L. ne quis. 10. D. de custod. & exhibit. reor. Paulus lib. 5. sentent. tit. 7. in Collat. leg. Mos. cum lege Romana.*

V. 16. *Dixit ostiariae, & introduxit Petrum.*

Ancillae Ostiariae, seu janitricis, ut Rhode ancilla in *Actib. Aposto. lor. cap. 12. v. 13. ωιδιCην* malim vertere ancillam, quam puellam: siquidem ancillae anus potius, quam puellae huic ministerio adiectae. Anus illa ostiaria apud Petronium in *Satyrico*, quae canem ingentis magnitudinis instigat Eumolpum. Plautus in *Curculione, act. 1. sc. 1. v. 76. Anus hic solet cubitare, custos, janitrix.*

V. 19. *Pontifex interrogavit Jesum de discipulis suis.*

Ex mandatis Principum, rei adprehensi interrogari debent de sociis, & receptoribus, *L. 6. D. de Custod. reor.*

V. 22. *Unus ministrorum dedit alapam Jesu.*

Alapae servorum castigationes injuriosae, *salapittae*, quae & in manumissionibus impingebantur. Caesarius *dial. 3.* ait, Christum alapis caesum fuisse, ut nos à servitute diaboli in libertatem assereret: *Alapa enim manumittunt servos domini.* Christus formam servi acceperat. Paulus ad *Philippenses cap. 2. v. 7.* igitur ut servus hic alapa caeditur, ac deinde ut servus supplicio crucis afficitur, quo & humilioris, abjectiorisve conditionis homines solebant affici. *Laët. lib. 4. Inj. cap. 26.*

V. 28. *Erat autem mane.*

Romani magistratus à lucifero jus dicebant, cognoscebant. *Juvenalis Sat. 13. v. 157.*

*Haec quota pars scelerum, quae custos Gallicus urbis,
Usque à Lucifero, donec lux occidat, audit?*

Ideo statim diluculo facto Judas Pilatum adiverat. *Matthaei cap. 27. v. 1. 2. & Marci cap. 14. v. 1.*

V. 29.

V. 29. *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?*

Accusatio interrogationem, & cognitionem praecedere debuit. Festus *Astor. 25. v. 16.* Non est consuetudo Romanis dare aliquem hominem ad perditionem, priusquam accusatus habeat in conspectu accusatorem. Vulcatius Gallicanus refert ex epistola quadam M. Aurelii: Non posse reum facere, quem nullus accusat. M. Tullius in *Orat. pro Cluentio*: Est sapientis iudicis animadvertere, qua lege reus citetur, de quo reo cognoscat, quae res in quaestione versetur. Et haec tria Pilatus Romani juris sciens observat. *Qua lege reus citetur*: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? *De quo reo cognoscat*. Tu es Rex Judaeorum? *Quae res in quaestione versetur*; Quid fecisti?

V. 31. *Secundum legem vestram iudicate eum.*

Romani devictis gentibus plerumque permittebant, ut suis legibus uterentur. M. Tullius de Siculis, *Ferrin. 2.* Ut cives inter se suis legibus agerent. Pausanias *lib. 4.* Trajanus Caesar Motbonaeis concessit, ut cum liberis populis censerentur, & suis legibus uterentur. Ita Iulius Caesar primum Hircano, Pontifici Judaeorum, concesserat, ut si qua controversia oriretur de Judaica disciplina, iudicium penes ipsum esset, Iosephus *lib. 14. Antiquitat. cap. 17.* Quod & aliis deinceps Pontificibus concessum fuisse videtur. Nam Tiberius Judaeis exprobrat, quod leges patrias Romani eis servassent *lib. 7. de bello Judaeic. c. 13.* Reges ex eadem gente imposuimus, deinde patrias leges servavimus.

V. 31. *Nobis non licet interficere quemquam.*

Vexatus locus diversis interpretationibus. Augustinus *tract. 114. in Joan.* Intelligendum est, eos dixisse, non sibi licere interficere quemquam propter diei festi sanctitatem, quem celebrare iam coeperant, propter quem de ingressu etiam Praetorii contaminari metuebant. Idem Chrysostomus. Cyrillus Alexandrinus aliam rationem affert: quod cum in Romanorum ditionem venissent, maxima parte dominationis, & potestatis privati fuissent: & quidem magistratibus municipalibus, secundum leges Romanas, ne de servo quidem supplicium sumere licuit. *L. magistratibus. 12. D. de iurisdict.* Habebant secures innocuas, & purum tribunal sanguine, ut Ausonius *Idyll. 9.*

Quos Curia summos
Municipum vidit proceres, propriumque Senatum:
Quique suas rexere urbes, purumque tribunal
Sanguine, & innocuas illustrare secures.

Subactis

Subactis igitur Judaeis, illis jus vitae & necis ademptum fuisse plerique existimant, idque ex libris Talmudicis probant, & Rabbini; qui scribunt, jus vitae & necis Judaeis ademptum fuisse ante everisionem urbis. Veruntamen Judaei, etiam secundum leges patrias ad religionem pertinentes, poterant aliquem interficere: ut lapidatione blasphemos, mulieres in adulterio deprehensas, atque ita mulierem adulteram; & Christum ipsum lapidare tentaverant, & Stephanum postea lapidarunt. Titus apud Josephum *lib. 7. de Bello Judaic. cap. 4.* Judaeis expressè concessum fuisse refert, ut possent eum, qui septa Templi transfiret, licet Romanum, impune occidere; idque jam à temporibus Tiberii, ad tempora usque Titi, concessum fuerat. Et quorsum Romani Patriae leges ad religionem pertinentes illibatas reliquissent nisi ut violatae religionis reos istis legibus vindicarent? denique Pilatus non dixisset: *Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate*, nisi & Judaei secundum legem suam judicare, punireve potuissent. Atque responderunt Pilato: *Nobis non licet interficere quemquam*, intelligebant de eo genere supplicii, cui Christum addici postulabant, videlicet supplicio crucis Judaicis legibus incognito. Eam mentem Judaeorum fuisse, his sequentibus verbis Joannis *vers. 32.* deprehenditur, neque aliter voluisse Christum occidi, quam supplicio crucis: *ut sermo Jesu impleretur, quem dixerat, significans, qua morte esset moriturus.* Istud genus mortis sibi futurum Christus praedixerat supra, Joannis *cap. 12. v. 32.* quod & prae ceteris crudelissimum optaverat. Gregorius Nyssenus *orat. 1. in Resur. Christi: Propterea Judaei non alio, quam crucis supplicio Christum affici volebant, tamen alio potuissent.* Nec solum Judaei Christum, ut blasphemum, aut violatae religionis reum, accusabant; sed etiam ut seditiosum, ut turbas concitantem, & prohibentem dare tributa Caesari. At secundum leges Romanas, *poena seditiosorum fuit crux.* Paulus *lib. 5. sentent. tit. 22. Auctores seditionis, & tumultus concitato populo, pro qualitate dignitatis aut in crucem tolluntur, aut bestiis subjiciuntur.* Hac igitur poena Christum volebant affici, sed ipsi afficere non poterant.

V. 39. *Est autem consuetudo vobis.*

Titus Bostrorum Episcopus ad *cap. 23. Luc. tom. 2. Biblioth. PP. Graecorum*, probabile esse existimat, hanc consuetudinem Romanos secundum leges patrias reliquisse; ut Praeses unum vincetum populo per diem festum dimitteret, veluti Saul Ionatham ad populi petitionem vita donaverat, *verisimile sane est, cum Judaei in fidem Romanorum venissent, quod apud ipsos patrii erat moris, populo aliquem dimittere, Romanos id servasse.* Vel ea consuetudo fuerat in memoriam populi Judaici servitute Aegyptiorum liberati.

Ad

Ad Cap. 19. Joan. V. 1.

Apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit, ἐμασίμωσε
Matth. 26. v. 26. φραγελλώσας.

FLAGRA, seu flagella, erant servilia verbera, *L. sed est. 9. §. penult. D. de injur. Lora, habenae, L. 1. §. impuberi, 33. D. de Senatusc. Silanian.* Liberi fustibus caedebantur, *L. in servorum, 10. L. capitalium, 28. §. non omnes, D. de poen. L. ult. D. de injuriis.* Eamque differentiam observat Philo Judaeus in Flaccum: *Verberum sunt differentiae discretae in civitate (Alexandria) secundum reorum dignitatem, qui verberantur.* Et postea: *liberalioribus, & civilioribus flagris; ubi intelligit fustium castigationem.* Honestior enim fuit castigatio fustium, quam flagellorum. Macer J. C. in d. *L. in servorum, 10. D. de poen. In servorum persona ita observatur, ut exemplo bumiliorum puniantur; & in quibus causis liber fustibus caeditur, in his servus flagellis caedi, & domino reddi, jubetur.* Atrocior etiam fuit poena flagellorum, quam fustium. Admonitio est fustium, castigatio flagellorum. *L. veluti. 7. D. eod. tit. de poenis.* Unde & Pilatus Christum flagellis castigatum, atque emendatum dimittere voluit. Plerique existimant moris Romani fuisse, ut qui crucis supplicio afficiendi essent, prius virgis, flagellisve caederentur; eoque more Pilatum jussisse, ut Christus flagellaretur, antequam crucifigeretur, Hieronymus in *cap. 27. Matthaei: Sciendum est enim, Pilatum Romanis legibus ministrasse, quibus sancitum erat; ut qui crucifigeretur, prius flagellis verberaretur.* Joseph. scribit *lib. 2. de bello Judaic. cap. 14.* Florum quosdam nobiles Judaeos, cives Romanos, verberibus caesos in crucem sustulisse, & *lib. 6. cap. 12.* Judaeos à Tito post pugnam captos, verberibus caesos, & in crucem actos fuisse. Hoc quidem verum est, & ita suadere videntur verba Matthaei *cap. 27. v. 26. Jesum autem flagellatum tradidit, ut crucifigeretur,* quasi praevia fuerit illa flagellatio, ut postea supplicium crucis sequeretur. Aliam ramen Pilati mentem fuisse deprehenditur; ideo Christum flagellasse, ut voluntati Judaeorum quodammodo satisficeret, eumque castigatum dimitteret. Lucas *cap. 23. v. 16. καιδεύσας ἐν ἄντρον ἀπολόσω, Castigans ergo dimittam:* vulgata versio, *Emendatum ergo illum dimittam;* quasi tantum flagellis castigare veller, & postea dimittere. Id etiam ex hoc cap. Joannis manifestum deprehenditur: ubi, cum Pilatus Jesum flagellasset, postea eum adduxit foras, & nullam se in eo causam invenire dicit, ut crucifigeretur: *Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia in eo nullam invenio causam.* Quando autem Pilatus Jesum flagellari jussit, non sedit pro tribunali, ut in eod. *cap. Joannis, vers. 13.* cum morti addicere voluit: si quidem moris Romani fuit, istam ver-

B

be-

berum, flagellorumve poenam non pro tribunali, sed de plano irrogari. Ulpianus in *L. nec quicquam*, 5. §. *de plano*, 3. *D. de offic. Proconsul. & legat.* Poterit de plano similiter & libertum non obsequentem emendare, aut verbis, aut fustiam castigatione. Idem Ulpianus in *L. levia*, 6. *D. de accusat. & inscriptionib.* *Levia crimina audire, & discutere de plano proconsulem oportet, & vel liberare eos, quibus obiciuntur, vel fustibus castigare, vel flagellis servos verberare.* Nec obstat quod Josephus scribit, *Florum, lib. 2. de bello Judaico d, cap. 2.* sub fin. nobiles istos Judaeos verberasse τὸ τῆς βήμας ἑπιπροϋβουλοῦ. Id enim ita intelligendum est, non ut Florus pro tribunali sed ad tribunal, aut prope tribunal verberari eos jussit, aut quia non tantum verberaverit, sed etiam postea crucifigi jussit. Quod ergo eam mentem Pilati fuisse satis constat, ut cum Christum flagellari jussit, morti addicere noluerit: quidam existimarunt, Christum bis flagellatum fuisse, primum cum de eo morti tradendo Pilatus non cogitavit, ut hoc capite Joannis: iterum vero cum eum morti addixit, Matthaei *cap. 27.* At verum est, Jesum semel flagellatum fuisse; tum ut festinantius, secundum voluntatem Judaeorum, ad supplicium duceretur, Chrysostomus *homil. 83. in Joan.* tum quia flagellatio, quae praecesserat emendationis gratia, mori Romano satisfacere potuit: cum milites vel impulsu Judaeorum, vel lascivia militari, gravius & praeter mentem Pilati Christum verberassent, Matthaeus, & Marcus ita rem narrant, ut post flagellationem mox sententia Pilati Christus cruci adiectus fuerit: sed tamen dicendum est, flagellationem praecessisse, ut & antea Christum coronatum spinis, & velle purpurea indutum fuisse: quod secundum illos eodem tempore factum diceretur. Porro Christum ad columnam verberatum fuisse jam persuasum est, licet Evangelistae non docuerint. Alii Christum columnae alligatum fuisse existimant, facie ad columnam versa, ut tergo caederetur, idque Prudentius in *Enchiridio veteris*, ac novi Testamenti innuere voluit:

- - - - - *Atque columnae*
Adnexus tergum dedit ut servire flagellis

Sed vestigia cruoris, quae sunt in sindone sacra, ut expressa sunt à Philiberto Pingonio, testantur, Christum non tantum a tergo, aut non tantum aversum, sed & adversum, verberatum fuisse, quod signum unque conjecturis praevalet. Alii Christum columnae longiori alligatum fuisse existimant; sed ut hinc & inde caederetur, solvi debuit, & iterum alligari, praesertim si crassior columna fuerit, ut quae Ecclesiae porticum postea sustinuerit. Probabilis est, breviorum fuisse columnam, aut certe minus crassam, ut facilius hinc & inde
Chri-

Christus verberari posset: quomodo verberatum fuisse signant sintonis vestigia.

V. 2. *Et plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus.*

Corona, quam milites capiti Christi imposuerunt, fuit ex spinarum, ruborum, sentiumve genere. Joannes hic, ἐξ ἀκανθῶν, ex spinis. Clemens Alexandrinus lib. 2. paedag. cap. 8. ex rubo. Plerique existimant, ex rhamno fuisse contextam, idque probabile est: tum quia spina illa, quae vulgo Hierosolymis nascitur, obvia esse potuerit; tum quia milites eam spinam potius eligere voluerint, quae magis pungeret, ut est rhamnus. Plinius lib. 24. cap. 14. *Inter genera ruborum rhamnos appellatur a Graecis candidior, & fruticosior: is floret ramos spargens vestis aculeis, non ut ceteri aduncis, foliis majoribus.* Hieronymus cap. 2. Aggaei de rhamno: *Spinosus frutex, & arbuscula, sentibus urticisque contexta, quae teneat quidquid attigerit, & retentum vulneret, & vulneratorum sanguine deletetur.* Milites coronam spineam capiti Christi imposuerunt, ut molestiam facerent; & quidem molestum magis spinis, quam urticis coronari, quod pro rei cujusdam molestae perpeffione retulit Svidas ex Pherecrate in verb. *urticis coronari.* Magnum vero mysterium in corona Christi contexta ex spinis latuit: nam spinae peccata referunt. Svidas, *Spina peccatum.* David: quoniam infixata est in me spina. *Tamquam stirps inutilis, & ad pungendum nata.* Eo respicere voluit Hieronymus lib. 2. Epist. 18. *Jesus spinis coronatus est, & delicta nostra portavit.* Milites quidem eo animo coronam spineam capiti Christi non imposuerunt, ut id signare vellent; verum, ut in aliis, quae milites fecerunt in Passione Christi, mysterium deprehenditur: veluti cum acetum ori obtulerunt, cum vestem Christi dividerent, & in ista coronae spineae impositione deprehendi potest. Hieronymus in cap. 27. *Matthaei: Quomodo Caiphas prophetauit nesciens quid diceret, sic & milites quaecumque fecerunt, licet alia mens fuerit, nobis, qui credimus, sacramenta tribuerunt.*

Quidam putant coronam Christi non fuisse in modum circuli, sed in modum pilei, & diadematis; ut & illam papyraceam, quam udaeos, in derisionem Agrippae, Carabae cujusdam infani capiti imposuisse ἀντὶ διαδήματος, pro diademate, refert Philo Judaeus in Flaccum: & pro paludamento itoream corpori induisse, & pro scepro frustum arundinis humi sublatum prae mambus dedisse. Ita milites dederunt spineam coronam pro diademate, chlamydem purpuream pro paludamento, arundinem pro scepro. Tertullianus de coron. milit. cap. 9. ait, *Romanorum militum com-*

mentum fuisse ex usu rei secularis, quod ita Reges coronam gestent, purpurâ induantur, sceptrum prae manibus habeant.

V. 2. *Et veste purpureâ circumdederunt eum.* Matth. cap. 27. v. 28. *circumdederunt ei chlamydem coccineam.*

Coccum, ut proprie appellatur, a purpura distinguitur, *L. si cui. 70. §. ult. & L. quaesitum est. 78. §. coccum. 5. D. de legat. 3.* Ideo Ambrosius in *cap. 23. Lucae*, tunica purpurea Christum indutum fuisse existimat, & deinde chlamyde coccinea circumdatum. Promiscue tamen coccum, & purpura dicitur: *coccum Imperatoris dicitur paludamentis*, Plinius *lib. 22. cap. 2.* Lampridius in *Alexandro Severo: Hoc solum Imperatorium habens, quod lacernam coccineam accipiebat*, id est, chlamydem. Paulus Diaconus *lib. 10. Imperii insigne & chlamyde purpurâ tantum erat.* Ita coccum, & purpura confunditur propter similitudinem. Augustinus *lib. 3. de consens. Evangelistar. cap. 9. Est rubra quaedam purpura, cocco similis.* Coccinea Imperatorum vestis, purpurea militum. Vopiscus in *Aureliano: Paragaudas vestes ipse primus militibus dedit, cum ante non nisi vestes purpureas accepissent.* Aut nisi purpureae essent vestes, pannus purpureus chlamydi assuebatur. Dorotheus praeter aliorum in eam rem probationes *doct. 1. tom. 1. Biblioth. PP. Graecorum, Ex quo enim Imperator purpuram fert, omnes ipsi militantes purpuram pallio imponunt, quod est Imperatorum indumentum: ut ex hoc ostendant, quod sint Imperatoris, & ipsi militent.* Probabile est igitur, chlamydem illam, qua Christum milites induerunt, fuisse aliquod pallium militare purpureum, unique militum detractum fuisse, ut eo Christus indueretur, seu circumdaretur. Versio vulgata recte *circumdederunt*: nam chlamys pallium militare fuit rotundum, non quadrangulum; ita ut milites non tam operiret, quam circumdaret. Etymologicum magnum, *Chlamys quid rotundum, & circulare.* Porro Marcus *c. 15. v. 17.* scribit, *καὶ ἐνδύουσιν αὐτὸν πορφύραν*: vulgata recte vertit *purpuram*, id est chlamydem, seu vestem purpuream. *πορφύρα* Graecis est chlamys, seu vestis purpurea. Hesychius, *χλαμὺς, πορφύρα, ἡ χιτὼν*, ut Latinis purpura. *L. si cui. 70. §. versicoloribus. 12. D. de legat. 3.* Indumentum istud deorsum milites dederunt Christo, ut Judaei Carabae stoream pro paludamento, seu chlamyde Imperatoria, apud Philonem Judaeum in *Flaccum: Stoream corpori induunt pro chlamyde.*

V. 3. *Ave, Rex Judaeorum.*

More Romano Imperatores salutabantur nomine Imperatoris, vel
Do-

Domini, vel alio nomine adulatorio. Ita psittacus Caesarem salutat. *Martial. lib. 14. Epigr. 73. v. 2.*

Hoc didici per me dicere, Caesar, ave.

Ita corvi salutare Augustum docti: *Ave, Caesar, victor, Imperator.* Macrobius *lib. 2. Saturnal. cap. 4.* Alexander Severus suo nomine salutare voluit. Lampridius in *Alexandro Severo*: *Salutabatur nomine*, hoc est, *Ave Alexander.* Igitur ex hoc more milites Romani Christum Regem per derisionem salutarunt, ut & Judaei Carabam regio habitu ornatum salutarunt, magnâ voce *Marin* appellantes, quod significat Syris *Dominum*, Philo Judaeus in *Flaccum*.

V. 3. *Et dabant ei alapas.*

Matthaeus *cap. 27. v. 30.* *Et percutiebant caput ejus.* Marcus *cap. 15. v. 19.* *Et percutiebant caput ejus arundine.* Graeca lectio apud Joannem habet *καὶ ἐδίδου αὐτῷ ράπισματα.* Matthaeus *cap. 26. v. 67. καὶ ἐκολάφισαν αὐτόν, οἱ δὲ ἐράπισσαν, ῥάπισ, virgula, fustis, crepida.* Hefychius, *ῥάπισδες, ὑποδήματα, Calceamenta, soleas.* Ibi igitur apud Matthaeum *cap. 26.* quidam intelligunt, Christum fuisse solearum ictu percussum: at hic Marcus expressit *cap. 15.* caput Christi arundine percussum fuisse: quod & *ῥάπισμα* significat, non minus, quam palma verberatum, depalmarumve fuisse.

V. 10. *Mihi non loqueris?*

Reus ad objecta crimina respondere debuit, eaque diluere secundum leges Romanas, *Actor. 25. v. 10. seq.* Cum autem Christus non responderet, voluit Pilatus Christo dicere, quod alias Comicus:

*An quisquam judex est, qui poscit noscere
Tua justa, ubi tute verbum non respondeas.*

V. 10. *Nescis quia potestatem habeo crucifigere te.*

Vulgata rectè *potestatem*, quo verbo jus animadvertendi continetur, *L. 3. D. de jurisdiction.* Legati quidem Caesaris primum in Provincias nondum pacatas missi fuerunt ab Augusto cum jure gladii, seu potestate animadvertendi, *Dio lib. 53.* ut provinciales coercerent. Procuratores autem Caesaris jus gladii non habuerunt, *Tacitus lib. 4. Annal. Dio lib. 58.* ac ne vix quidem jurisdictionem, nisi inter filicum, & privatos, *L. 1. C. de jurisdict. omni. judic.* patrimonium Caesaris administrabant,

tributa in Provinciis colligebant. Quomodo igitur Procurator Tiberii Caesaris in Judaea habuit imperium merum, seu jus animadvertendi? Praeterea Praefides, qui universas Provincias regebant, id est, integras & non divisas, habebant quidem jus gladii, *L. illicitas. 6. §. qui universas. D. de offic. Praesid.* at Praefides, qui minores Provincias regebant, suberant aliis Praesidibus, nec habebant majorem animadvertionem, *L. ex Divi. 4. C. de locat. & conduct.* nec bonorum publicationem, seu jus confiscandi, *L. unic. C. ne sine juss. Principis certis judicibus liceat confiscare.* At Pilatus Judaeam tantum procurabat. Tacitus *lib. 15. Annal. cap. 44. v. 4. Christus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Quomodo ergo Pilatus, qui erat tantum Procurator Caesaris, habuit potestatem animadvertendi? Tertullianus cum videret Pilatum jus animadvertendi habuisse, putavit, Pilatum Syriam procurasse. Tertullianus *apologet. cap. 21. Ut postremo oblatum Pontio Pilato, Syriam tunc ex parte Romana procuranti, violentia suffragiorum in crucem Jesum sibi dedi extorserint.* Lactantius *lib. 4. divin. Institut. cap. 18. Pontio Pilato, qui tunc legatus Syriam regebat, oblatum cruci affigi postulaverunt.* Idem Cyprianus. Verum Pilatus non erat Legatus Caesaris in Syria, Judaeam tantum procurabat, & suberat Syriae Praefidi; & ideo cum Samaritanos quosdam tumultuantes occidisset, caedis reus postularus fuit apud Vitellium Syriae Praesidem, Josephus *lib. 18. Antiquit. cap. 5.* Procuratores Caesaris, qui Praefidis partibus in provincia fungebantur, habebant majorem animadvertionem, & de criminibus cognoscebant, ut de lege Fabia de plagiaris. Ulpianus *lib. 9. de offic. Procons. in Collat. leg. Mosaic. cum leg. Rom. tit. 14. de plagiar.* Nec aliter Procuratori Caesaris haec cognitio injungitur, quam Praefidis partibus in Provincia fungatur. Imperator Gordianus in *L. 4. C. ad leg. Fab. de Plagiar.* Non valet Procuratoris sententia, si vicem Praefidis non tueatur: qui legi Fabiae locum esse pronuntiavit, cum ejus disceptatio ad Praefidis Provinciae pertineat mentionem. At Pilatus non erat Praefes provinciae, qui suberat tunc Praefidi; nec partibus Praefidi in Judaea fungebatur, cum tunc Sillanus esset Praefes Syriae, Josephus *lib. 18. Antiqu. cap. 3.* aut Vitellius, Josephus *ejusd. lib. 18. cap. 5.* Marthaeus quidem vocat Praesidem *cap. 27. v. 2. παραδωκεν αυτον Ποντίω Πιλάτω τῷ ἡγεμόνι.* Vulgata versio, Pontio Pilato Praefidi, recte: quia Praefidis nomen generale est, & pertinet ad omnes provinciarum rectores, sive sint Proconsoles, sive Legati Caesaris, sive quo alio titulo provinciam administrent, *L. 1. D. de offic. Praesid.* Ex hoc loco tamen constat, Pilatum potestatem animadvertendi habuisse, summum supplicium inferendi, atque etiam crucifigendi. Equidem Legati primum ab Augusto missi fuerant cum exercitu, & cum Imperio mero, seu jure gladii, in Provincias nondum

dum pacatas, ut eas Provincias pacarent, Dio *lib. 53.* Sic igitur Pilato, licet tantum Procuratorem in Judaea ageret, Imperium merum, seu potestatem animadvertendi cum exercitu, & copiis militaribus a Tiberio Caesare datam existimo, ut Judaeos assidue tumultuantes, vel tributa Caesari dare detrectantes comperceret. Ideo etiam Pilatus signa Romana, & Caesaris effigiem, praeter consuetudinem ad contumeliam legis Judaicae, Hierosolymam infulerat, ut ita Judaeos ad Caesaris venerationem adigeret, Josephus *d. lib. 18. Antiquit. cap. 4.*

V. 10. *Et potestatem habeo absolvere te.*

Paulus in *L. 3. D. de re judicat. Qui damnare potest is absolvendi quoque potestatem habet.* Ulpianus in *L. nemo. 37. D. de regul. jur. Nemo qui condemnare potest, absolvi non potest.* Contra: *Is non habet jus liberandi reos, apud quem accusari non possunt. L. solent. 6. D. de offic. Procons. & Legat.*

V. 12. *Si hunc dimittis, non est amicus Caesaris.*

His verbis Judaei vel simpliciter minantur Pilato, quod amicitia Tiberii casurus sit; vel praeterea, quod Tiberius ei procurationem Judaeae sit adempturus. Si quidem Legati, Praesides, Praefecti, amici Imperatoris dicebantur, Trajanus apud Plinium *lib. 10. epist. 22. Ad Pompejum Plantam Praefectum Aegypti, amicum meum.* Idque passim occurrit in libris Juris Civilis, *L. ult. D. de offic. Praesid. L. 1. §. si quis D. de appell. L. 1. C. si mancipium ita venierit, L. 4. C. de jure & fact. ignorant. L. 4. C. de inutil. stip.* Judaei igitur ita Pilato volunt metum amittendae potestatis injicere, quod ea adempta Caesaris amicus non diceretur.

V. 12. *Omnis, qui se Regem facit, contradicit Caesari.*

Temporibus Tiberii lex Julia majestatis acriter, & severe exercebatur. Lucius Seneca *lib. 3. de benefic. cap. 26. Sub Tiberio, Caesare fuit accusandi frequens, & pene publica rabies, quae omni civili bello gravius togatam civitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas jocantium, nihil erat tutum.* Suetonius in *Tiberio cap. 58. v. 1. Sub idem tempus, confidente Praetore, an judicia majestatis cogi juberet, exercendas esse leges respondit, & atrocissime exercuit.* Tacitus *lib. 3. Annal. cap. 38. v. 1. Addito majestatis crimine, quod tum omnium accusationum complementum erat.* Alius eo tempore majestatis accusatus, quod annulum, in quo sculpta erat effigies Caesaris, marulae, vel obscenis admo-

vissit.

viffer. *Seneca lib. 3. de benef. cap. 26.* Alius, quod Tiberii effigiem annulo impressam latrinae, aut lupanari intulisset, Suetonius in *Tiberio cap. 58.* Alius, quod effigiem Principis promiscuum ad usum argenti veruisset, Tacitus *lib. 3. Annal. cap. 70. v. 2.* Alius, quod servum verberasset, qui drachmam argenteam Tiberii imagine signatam gestabat, Philostratus *lib. 1. de vit. Apollonii.* Judaei igitur cum scirent illis temporibus ob res leviores crimen majestatis intendi, idque Tiberium velle vindicari, gravius crimen majestatis intenderunt Christo, quod se Regem facere voluisset; ut Pilatus eum, tanti criminis accusatum, timeret dimittere, & Tiberii offensam incurrere. Theophilus Antiochenus *lib. 1. ad Autolycom tom. 1. Biblioth. PP. Graecorum: Rex quos habet sibi subditos, non vult reges vocari; nam regis nomen ipsius est, nec licet alium hoc nomine vocari.*

V. 13. *Sedit pro tribunali.*

Magistratus Romani de gravioribus causis cognoscentes sedebant pro tribunali: ut de restitutionibus in integrum, de liberalibus judiciis, de causis alimentorum, & ubicumque causae cognitio vertebatur, ut in danda bonorum possessione Decretali. *L. 2. §. dies. D. quis ord. in possess. servet.* multo magis cum de criminibus cognoscerent, ubi major causae cognitio requiritur. Alias de plano, non pro tribunali custodiae ex levioribus delictis audiebantur, *L. unius. 18. §. ult. D. de quaestionib. L. levia. 6. D. de accusationibus.*

V. 13. *In loco, qui dicitur Lithofstrotos, Hebraice autem Gabbatha.*

Lithofstrotos coeptavere jam sub Sylla. Plinius *lib. 26. natur. hist. cap. 25.* Erat igitur pavimentum, vel cameratio illius loci, seu ex opere musivario facta, puta crustis, aut tessellis; vel solum tribunalis ita factum erat, quod suadet Hebraea vox *Gabbatha*: id est, excelsus locus, quasi tribunal Lithofstrotum Graece dictum fuerit, eo quod tessellatum: *Gabbatha* Hebraice, eo quod excelsum; & ut Hebraica vox ad tribunal tantum pertinet, non ad totum locum, ita & vox Graeca ad tribunal tantum referenda videatur. Melius autem verteretur *εις τὸ ὕψος λεγόμενον λιθόστρωτον*, in locum, qui dicitur *Lithofstroton*, quam, ut vulgata habet *Lithofstrotos*. Plinius enim supra *Lithofstrotos*.

V. 15. *illi autem clamabant, Tolle, Tolle.*

Vulgus noxios clamoribus ad poenam poscebat: ut ad ignem, Apulejus *lib. 2. Milesiar.* ad Leonem, Tertullianus *Apologetic. c. 10.* Cyprianus *epist. 3.* idque Judaeos facitasse constat, *Aetor. cap. 21. v. 36.* *Sequebatur multitudo populi clamans, tolle eum,* atque etiam ex Josepho *lib. 3. de bello Judaico cap. 14.* ubi multitudo incondita Josephum quemdam ad supplicium poscit. Quod Vespasianus habuit insuper, & posteriorum Imp. constitutiones prohibuerunt, ne in poenis decernendis vanae voces populi audirentur, *L. Decurionum. 12. C. de poenis.* *Cumque a populo exclamatum est, iterum dixerunt: (Imp. Dioclet. & Maximian.) vanae voces populi non sunt audiendae; nec enim vocibus eorum credi oportet, quando aut noxium crimine absolvi, aut innocentem condemnari desiderat.*

V. 15. *Crucifige eum.*

Judaei Christum accusaverant ut seditiosum, ut turbas concitantem, ut prohibentem dare tributa Caesari, regnum affectantem: ideo ad crucem poscunt, quia Crux poena seditiosorum. Paulus *lib. 5. sent. tit. 22. de seditios.* *Auctores seditionum, & tumultus populo concitato, pro qualitate conditionis, aut in crucem tolluntur, aut bestiis obijciuntur, aut in insulam deportantur.* Ita Quintilius Varus Syriae Praefes Judaeos seditiosos cruci affixit. Josephus *lib. 2. de Bell. Judaico.* Et Florus quoque Syriae Praefes. Josephus eod. *lib. 2. de bello Judaico. cap. 14.* Adeo vero id persuasum erat, Christum tumultus & seditiones concitasse, ut longo post tempore, Judaeos impulsore Christo assidue Romae tumultuantes fuisse, scripserit Suetonius in *Claudio cap. 25. Judaeos impulsore Christo assidue tumultuantes Roma expulit.*

V. 16. *Tunc ergo tradidit illum, ut crucifigeretur.*

Quidam existimant, Pilatum, cum tam cito de Christo supplicium sumpsisset, commississe in Senatusconsultum illud temporibus Tiberii factum, quo poena damnatorum in decimum semper diem differri debuit, Suetonius in *Tiberio cap. 75.* Seneca, *de tranquillit. vitae cap. 14.* vel in trigessimum diem, ut Sidonius Apoll. retulit *lib. 1. epist. 7.* Sed non adverterunt, Senatusconsulto tantum locum fuisse, cum quis aut a Senatu, aut a Principe damnatus esset, ordine judiciorum servato: at non pertinebat Senatusc. ad seditiosos, & famulos latrones, quos mandata Principum statim & extra ordinem puniri voluerunt. Ulpianus in *L. si quis. 6. §. quid tamen. 9. D. de injust. rupt. irrit. fact. testament.* *Nisi forte la-*

latro manifestus, vel seditio praerupta, factioque cruenta, vel alia justa causa: tunc enim punire permittitur, deinde scribere. Modestinus in *L. Constitutiones. 16. D. de appellationibus loquuntur, ut nihil novi fiat, locum non habeat in eorum persona, quos damnatos statim puniri publice interest: ut sunt insignes latrones, vel seditionum concitatores, vel duces factionum.* Mandata primum dederat Augustus Legatis suis, quae & alii Principes semper dare solebant Praesidibus ad Provinciarum administrationem proficiscentibus. Lucianus pro eo, quod inter salutandum &c. in mandatorum libro, quod semper ab Imperatore accipitur. His mandatis continebatur, quomodo fontes punirent, & pro dignitate, vel conditione personarum, vel pro qualitate delicti, multae dictione, *L. aliud est. 131 §. 1. D. de verb. signific. vel capitali poena, vel vinculis, L. Divi 27. §. 1. & 2. & L. mandatis. 35. D. de poen. vel gladio, Tertullianus ad Scapulam cap. 4. Sed gladio ternis, sicut a primordio mandatum est, animadverti in hujusmodi.* Iisdem mandatis cavebatur, ut curarent Praesides malis hominibus Provincias purgare, *L. 3. D. de offic. Praesidis.* Persecutiones Praesidum *ὄτολας* vocat Eusebius, quod secundum mandata Principum Christianos persequerentur. Caput etiam mandatorum videtur fuisse, ut seditionum & factionum auctores statim punire possent: quod colligitur ex verbis d. *L. 6. §. 9. D. de injust. rupt. irrit. fact. testament.* Tunc enim punire permittitur, deinde scribere: puta, mandatis permittitur. Pilatus igitur secundum mandata hujusmodi Christum seditionis, factionis, affectati Regni accusatum, Judaeis instantibus, puniit; & secundum eadem mandata scripsit Tiberio. Tertullianus in apologet. cap. 21. *Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse pro sua conscientia Christianus, Caesari tunc Tiberio nuntiavit.* Eusebius lib. 2. hist. Eccl. cap. 2. ex Tertull. sed tantum quinque annis a Passione Christi. Flavius Dexter in Chronie. ad annum Christi 34. *Pilatus Christi mortem, & miracula scribere statuit Tiberio.* Igitur Pilatus in eo leges Romanas praetergressus non est, quod de Christo statim supplicium sumpsit: sed quod accusatoribus crimina objecta Christo non probantibus, ad petitionem Judaeorum, Christum innocentem (ut ipse semper testatus est) morti addixerit. Leo Magnus sermon. 8. de Passione Dom. *Nec ipse evasit reatum, qui cooperatus seditionis, reliquit iudicium proprium, & in crimen transfudit alienum.*

V. 17. Bajulans crucem suam.

Damnati ad crucem ipsi crucem suam ferebant. Plutarchus in *lib. de sera numinis vindicata, Artemidorus lib. 2. ὀνειδέματα, cap. 71.* quod jam a plerisque observatum est: at id ex more Romano fuisse, probat Plau-

Plautus Carbonariâ apud Non. Marcellum de indiscret. generib. Patibulum ferat per urbem, deinde affigatur cruci. Milites igitur ex more Romano crucem ferendam Christo imposuerunt: & ut in aliis supra ostendimus, ita ut in eo prophetiae impletæ fuerint. Tertullianus lib. 3. adversus Marcionem. Solus novus Rex novorum aevorum Christus Jesus, novæ gloriæ & potestatem, & sublimitatem suam humero extulit; cruce scilicet: ut secundum superiorem prophetiam exinde Dominus regnaret a ligno. Leo Magnus ad aliam prophetiam respiciens, serm. 8. de Passion. Dom. Traditus Dominus saevientium voluntati, ad irrisionem regiae dignitatis supplicii sui iussus est esse gestator; ut impleretur, quod Isaias Prophetæ prædixerat, dicens: Ecce natus est puer, cujus imperium super humerum ejus. Quod vero existimant nonnulli, ex verbis Lucae cap. 23. v. 26. Simonem crucem portasse post Jesum, ita ut Christus anteriorem partem crucis gestans præiret, Simon autem postremam gestans sequeretur: Probabilius est secundum morem Romanum totam crucem ferendam Christo soli impostam fuisse: At cum timerent milites, Christum jam multis cruciarum modis in via deficere, crucem à Christo in Simonem transfuisse: ut Hieronymus in cap. 27. Matthæi vers. 32. Augustinus lib. 3. de consens. Evangelist. cap. 10.

V. 18. Et cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Jesum.

Crux supplicium sicciorum, latronum, servorum, & infimæ conditionis hominum. Paulus lib. 5. sent. tit. 22. de seditiosis. Firmicus lib. 6. cap. 31. Homicidum, latronem efficiet, istis sac moribus comprehensus, patibulo, suffixus in crucem, & crudeliter erigitur. Lactantius lib. divinar. institut. cap. 26. Eo genere afficiendus fuit, quo humiles, & infimi solent. Verum autem videtur, Christum, & latrones duos magis cruci erectæ, quam jacenti affixos fuisse; & ut Christum, ita latrones quoque duos clavis cruci affixos fuisse: non funibus, sive testibus.

V. 19. Scripsit & titulum Pilatus.

Pilatus ante scripserat sententiam more Romano. Neque enim putandum est, Pilatum sententiam voce pronuntiasse absque scriptura, sed eam scriptam ex tabella recitasse ex periculo, seu indiculo, ut moris Romani fuit. Seneca de morte Claudii: Ita ex tabella recitavit. Suetonius in Claudio. Tertullianus apologetic. cap. 2. Quod de tabella recitatis illum Christianum. In actis Passionis B. Cypriani: Decretum ex tabella recitatur, Thascium Cyprianum gladio animadverti placet. Cum igitur

antea Pilatus scripssisset sententiam, innuit eundem Pilatum scripserit: idque etiam more Romano, quo crucifixus per forum tradebatur cum literis mortis causam indicantibus. Dio *lib. 53. μετα γεγραμμένων τῆν αἰτίαν τῆς θνατώσεως αὐτοῦ δηλόντων. αἰτίαν* Dio, ut Matthaeus *cap. 28. v. 37. τὴν αἰτίαν αὐτοῦ γεγραμμένην, causam ipsius scriptam.* Marcus *cap. 15. v. 26. ἐπιγραφή τῆς αἰτίας,* ut titulus causae, Quintil. *de clamat. 202. productus sub titulo causae.* Titulus, & causa Latinis promiscue. Ita interpretatur literas istas singulares Paulus Diaconus C. P. id est, *causam posuit.* Videtur autem secundum versionem Latinam Joannis, quod Christo jam crucifixo Pilatus titulum scripserit: sed tamen secundum versionem Graecam scripserat & titulum Pilatus. Probabile est, statim post sententiam eum scripssisse & titulum, atque etiam cruci appositum, & à Christo simul cum cruce latum fuisse; sed dum ferretur in via, plurimis concurrentibus, titulum à Judaeis non ita facile deprehendi, legive potuisse; ut tunc Pilatum de eo mutando interpellarent, veluti cum cruci superpositus fuit. Putarem nihilominus, titulum non ipsi cruci, sed tabella a cruce separata inscriptum, & postea cruci adjunctum fuisse. Sicque Helenam titulum a cruce separatum reperisse scribit Rufinus *lib. 1. hist. Ecclesiast. cap. 27.* Patronum autem cruces titulum non habuisse refert Chrysostomus *homil. 84. in Joannem,* & Theophylactus in *cap. 19. Joannis.*

V. 19. 20. *Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus, Rex Judaeorum.*

Alii scriptores Evangelici fuisse scriptum Hebraice, Graece, & Latine: qui titulum Christi Romae viderunt, eum ordinem linguarum in titulo Christi fuisse referunt, ut superior posita fuerit Hebraica, media fuerit Graeca, & tertia Latina, eumque ordinem prudentius agnovit in *apothefi v. 383. seq.*

*Fronte crucis: titulus sit triplex, triplice lingua.
Agnoscat Judaea legens, & Graecia norit,
Et venerata Deum percenscat aurea Roma.*

Et quidem cum plerique ex Graecis Latinisque Hierosolymam convenirent, tribus istis linguis titulum scribi oportuit, ut ab omnibus legi posset. Capitolinus in Gordiano juniore refert, milites titulum Gordiani inscripssisse Graecis, & Latinis, Persicis, & Judaicis, & Aegyptiacis literis, ut ab omnibus legeretur. Illi etiam, qui viderunt titulum, referunt,

tres

tres linguas in titulo Christi positas fuisse, ut a dextra in sinistram legeretur: forte, quod cum Hebraea primo loco scripta fuisset, ita & duae aliae linguae postea scriptae fuerunt. Quamvis autem titulus tribus linguis scriptus fuerit, sententia Latinis litteris tantum scripta fuerat: neque enim patiebatur dignitas Romani Imperii, ut alia lingua Praefides in sententiis uterentur. *Claudius splendidum virum, Graeciaeque Provinciae Principem, verum Latini sermonis ignarum, non modo albo judicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit*, Suetonius in *Claudio cap. 16. Dio lib. 66.* Judex enim esse non poterat, qui Latini sermonis ignarus. Sententiae, & decreta, id est, quaecumque fiunt adhibita causae cognitione, *Latine a Praetoribus interponi debent, L. decreta, 48. D. de re judic.* Praeco causam poenae superdicens alia lingua uti potuit, ut in rescripto illo Imperatorum Severi & Antonini, quo eum, qui timere juraverat, fustibus castigari, atque a praecone superdici voverint, *Temere ne juraveris, L. si duo, 13. §. ult. D. de jurejurand.* Ita quidem praecone Graece loqui oportuit, ut in Graecia audiretur: & titulus Christi tribus linguis scribi, ut a pluribus advenis legeretur. Tandem posterioribus temporibus, translato in Graeciam Imperio, Arcadius & Honorius, iudices tam Latina, quam Graeca lingua sententias proferre permiserunt, *L. iudices, 12. C. de sent. & interlocut. omn. jud.*

V. 22. Quod scripsi, scripsi.

Secundum leges Romanas, sententia semel dicta à magistratu, seu iudice, seu quolibet alio jurisdictioni praecunte, mutari non poterat, Suetonius in *Julio cap. 14.* Marcus Seneca *lib. 2. controvers. 3. & lib. 7. controvers. 8.* Tertullianus *de Pudicitia cap. 14.* ut ne litera quidem mutari posset. Apulejus *lib. 1. Floridor. Proconsulis autem tabella sententia est, quae semel lecta, neque augeri litera, neque minui potest, sed utcumque recitata, ita provinciae instrumento refertur.* Pilatus igitur sententiam mutare non poterat, ut nec poenam ampliare, vel minuere, *L. acta, 45. §. 1. D. de re judic.* sed titulum mutare poterat Judaeis postulantis: nam licet sententia mutari non posset, tamen ea, quae ad consequentiam statutorum pertinebant, eodem die suppleri poterant, *L. Paulus 42. D. eod. tit. de re judicat.* Verum Pilatus erat homo pervicax & iracundus, quem describit Philo Judaeus *de legation. ad Cajum, erat enim natura inflexibilis, & per arrogantiam durus. & postea: iracundus homo.* Ita non facile adduci potuit Pilatus, ut titulum, quem scripserat, mutaret.

V. 23. *Milites cum crucifixissent.*

Milites, qui Praefidi apparebant, & custodiam agebant; puta, speculatores, satellites, stipatores: nam Matthaeus *cap. 27. v. 35.* refert, post sententiam a Pilato latam, ut Christus crucifigeretur, milites Praefidis Christum suscepisse. & universam cohortem congregasse. Unde istos, qui erant in satellitio Praefidis, ipsique apparebant, Christum crucifixisse existimarem. Milites in castris, & in urbe jussu Imperatoris, & in Provinciis jussu Praefidum, damnatos supplicio afficiebant. Chaereas apud Josephum *lib. 19. Antiquitat. cap. 1. Ministranus satellites, & carnifices constituti pro militibus.* Tertullianus *de coron. milit. cap. 10. Et vincula, & crucem, & supplicia administrabit, nec suarum ultor injuriarum.* Atque etiam Tribunus ipse, & Centuriones de damnatis sumebant supplicia, ut a plerisque jam fuit observatum, & stationarii milites Christianos torquebant, supplicium inferebant, ut in quibusdam actis Martyrum.

V. 23. *Acceperunt vestimenta ejus.*

More Romano speculatores, qui de damnatis supplicium sumebant, vestes eorum capiebant, & pannicularia eorum, nec primum id permisit Adrianus, sed rescripto suo expressit, quid panniculariae appellatione contineretur, *L. Divus. 6. D. de bonis damnat.* Ulpianus post rescriptum Adriani subjicit: *Pannicularia sunt ea, quae in custodiam receptus secum attulit; spolia, quibus indutus est, cum quis ad supplicium ducitur, ut & ipsa appellatio ostendit.* Pannicularia habebant speculatores: ac commentarienses alias res damnatorum retinebant, quarum & rationes faciebant. Legitur in pandectis Florentinis: *Neque speculatores ultro sibi vindicent.* Mendum esse unius literulae, & legendum *ultra*, optima ratione alicui observavimus *lib. 3. obser. cap. 1.* Scilicet, ut speculatores nihil ultra sibi vindicent, praeter pannicularia, & obtriones, seu commentarienses alias res retineant.

V. 23. *Et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem.*

Igitur quatuor solum milites Christum crucifixerunt, cum, divisa veste Christi in quatuor partes, quisque suam haberet. Inde quidam pallium Christi quadrangulum fuisse existimant, & ex quatuor angulis sibi fecisse milites quatuor partes. Alii vero non ideo in quatuor partes divisum fuisse,

fuisse, quod esset quadrangulum, sed quod essent quatuor milites, ut cuique pars sua tribueretur.

V. 23. Erat autem tunica inconsutilis.

Christus gestabat tantum vestem, pallium, seu vestem exteriorem, & tunicam, seu vestem interiorem è lana: milites quidem pallium dividere poterant, ut vestem ampliorem & latiore; non tunicam substrictiorem & brevior, aut quia erat ἀπρωφως, inconsutilis, si-ve inconsuta, ad differentiam tunicarum consutarum ex diversis pan-nis aut commissarum fibulis. Isidorus Pelusiota *epist.* 74. putat, fuisse ex genere quodam textrinae Galilaeorum. Milites igitur tunicam Christi non dividerunt, sed super eam miserunt sortem; quod com-mode dividi non posset, aut propter brevitatem, aut propter genus ipsius dextrinae.

V. 23. Desuper contexta per totum.

Tunica Christi non erat consuta opere futuro, sed contexta opere tex-torio: quod tamen qua arte fieri potuerit, satis obscurum est, praeser-tim si manicas haberet, qui enim fieri potuit, ut sutor unam tunicam manuleatam texeret? Patres Graeci, Chrysostomus, Theophylactus, Isidorus tentant exponere, & post illos Philologici nuperi; sed ab his non tantum lucis, ut locus illustretur.

V. 24. Sortiamur de illa, cujus erit.

More Romano sortibus in plerisque utebantur. Sortito dabantur pro-vinciae, *L. unic. D. de offic. quaest.* Legationes, Tacitus *lib.* 4. *bist.* 8. *v.* 1. *Secundum vetera exempla, quae sortem legationibus posuissent.* Sortiti iudices ex decuriis legabantur; puta scriptis nominibus iudicium, & in urnam sortito missis, ut Alconius in *Divinationem.* Sed & legibus Ro-manis pluribus de ea re contententibus sorte res discernebatur, *L. sed cum ambo. 14. D. de Judic. L. generaliter. 24. §. quid ergo 17. D. de fidei-commiss. libertatib.* Milites igitur eo more super vestem Christi miserunt sortem. Non quidem super vestem exteriorem, quod Marci verba *cap.* 15. *v.* 20. 24. suadere videntur; sed interiorem, scilicet tunicam, quae commode dividi non poterat, ut hic Joannes expressit, & Lucas *cap.* 23. *v.* 34. Uterque attingit divisionem pallii, & sortitionem tunicae, Quomodo vero milites sortem jecerunt? ad nominibus quatuor mili-
tum

rum in urnam jactis, ut illius tunica esset, cujus nomen prius exiisset? Talem sortitionem inter milites, sed longo post tempore factam, reperio. Cum aequum in praelio captum non possent inter se dividere, apud Vopiscum in *Probo*: *In urnam militares jussit nomen suum mittere, ut aliquis eum sorte ductus acciperet*, puta is cujus nomen prius urna emerisset, ut postea subjicit Vopiscus. Ita igitur milites tunicam Christi sortiti sunt, nominibus, seu forticulis in urnam, seu firellam jactis: aut si milites urnam non habuerunt paratam eo loco, ubi Christum crucifixerunt, in galeam, seu cassidem, more militari fortes jecerunt. Virgilius *lib. 5. Aeneid. vers. 490.*

dejectamque aerea sortem
Accepit galea,
Stattius lib. 6. Thebaid. v. 389.
Sortitus Proteus versarat abena
Casside

Id quidem magis admittendum, quam milites sortem jecisse tesseriis aleatoris; aliud enim fors, aliud alea.

V. 29. Vas ergo erat positum aceto plenum.

Ad quid vas hic positum erat, acetum, & hyssopus, & spongia, & calamus? Plerique existimant id ex more factum esse, quasi mos fuerit ita cruciariis parari acetum, & spongiam, ad vulnera restringenda: alii ad mortem accelerandam parari: alii autem ad porionem parari. At vix est, ut milites Romani, qui Christum crucifixerunt, morem istum Judaeorum voluerint, eoque animo acetum in vase, & spongiam, & hyssopum, & arundinem secum tulerint. Equidem vas aceto plenum ad restringenda vulnera positum non fuisse, argumentum est; quia diu jam Christus, & latrones crucifixi fuerant, multumque sanguinis e vulneribus crucifixorum fluere potuerat, & vas ipsis restringendis exhaustum esse, quod tamen erat plenum. Vas istud igitur positum fuerat ad bibendum, idque milites secum attulerant; non ut ex eo potum Christo darent, sed potius ut sibi ex eo potum sumerent. Si quidem acetum tenuioribus in potu fuit, *L. 25. D. de option. vel elect. legat. L. penult. & L. si quis. 9. §. si acetum. D. de tritic. vin. vel ol. legat. Perlius sat. 4. v. 32.*

Panno

Pannosam faciem morientis sorbet aceti.

Acerum quoque potus militum fuit. Imp. in *L. 1. C. de erogat. milit. annon.* Spartianus in *Pescennio Nigro*: *Fussit, vinum in expeditione neminem bibere, sed aceto univ. esse contentos.* Erat potus ille aceti in Palaestina tenuioribus quoque non infolitus, *Ruth. cap. 2. v. 14. Comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto.* Existimarem igitur, milites vas istud plenum aceto, sui causa, positum habuisse; ut ex eo biberent: nam quia debebant crucifigere, & post crucifixionem manere, donec crucifixi morentur; incerti an diu mansuri, potum secum attulerant. Ut & miles ille, qui latrones cruciarios servabat, cœnulam suam secum tulerat, *Potionem, cibum*, apud Petronium in *Satyr.*

V. 29. *Illi vero implentes spongiam aceto, & hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.*

Scriptores Evangelici locum istum varie retulerunt: ideo quidam existimant aceto hyssopo fuisse circumpositum, id est permixtum, & spongiam hujusmodi aceto imbutam arundini adfixam fuisse, datamque Christo ad bibendum. Alii ex verbis Joannis colligunt, hyssopum fuisse aptatum spongiae, ut hoc modo potus Christo porrigeretur. Quasi genus illud hyssopi in Judaea fuerit quaedam arbuscula, calamo & arundini similis. Idque suadent verba Joannis *& hyssopo circumponentes.* Matthaeus vero *cap. 27. v. 34.* ait milites implevisse spongiam aceto, eamque non hyssopo, sed arundini circumposuisse, ut ita Christo porrigeretur: alii, milites hyssopum arundini circumligasse, & hyssopo spongiam quoque circumposuisse, & simul hyssopum, & spongiam aceto imbutam, ut utrumque ori Christi ingratum admovent, atque ei ita illuderent; quod verius est. Sed adhuc quaeri potest, qua mente milites ea secum haberent, spongiam, calamum, seu arundinem, hyssopum? Fortuito illa omnia occurrisse existimo, & spongiam forte arundini non fuisse aptatam, sed arundinem simul cum spongia inventam. *Caesarius tom. 1. Biblioth. PP. Graecorum interrogatione 85. Arundo fructum fert. Comam quidem ad spongiam, & reliquum ad pennas.* Sed si talis arundo fuit, quae in coma haberet spongiam, non debuit aptari, circumponive arundini spongia, cui ipsa adhærebat.

V. 31. Ergo Judaei, ut non remanerent in cruce corpora
Sabbato.

More Romano cruciarii a militibus custodiebantur, etiam post mortem, ne quis corpora detraheret. Petronius in *Satyrico*: *Miles, qui cruces asservabat, ne quis ad sepulturam corpora detraheret.* Cruciaris crux fuit sepulcrum. Plautus in *Milit. glorios.* *Scio cruce[m] futuram mihi sepulcrum.* In cruce pascebant corvos, & in sepulturam suam destuebant, ut Lucius Seneca. More Judaeorum, post lapidationem patibulo expositi, sub occasum Solis tollebantur, & sepulturae tradebantur. *Deuteronomii cap. 21. v. 23.* Josephus *lib. 4. de bell. Judaic. cap. ult.* Tertullianus adversus Judaeos *cap. 10.* Christus & Latrones more Romano crucifixi, in cruce remanere debuerant: sed Judaei propter magnum diem Sabbati, rogaverunt Pilatum, ut corpora eorum in cruce non remanerent, sed tollerentur. Philo Judaeus in *Flaccum* refert, & quosdam cruci affixos a Romanis, instante aliquo solenni die, veluti natali Imperatoris, de cruce depositos, & ad sepulturam cognatis reditos fuisse.

V. 31. Ut frangerentur eorum crura.

Crurifragium id ex more Romanorum, non Hebraeorum: nam cum quidam vivaciores in cruce manerent, crucifragio mortem accelebant. Lactantius *lib. 4. institut. cap. 26.* *Suffixus itaque Christus cum spiritum deposuisset, necessarium carnifices non putaverunt ossa ejus suffringere, sicut eorum mos ferebat.* Quae verba referri debent non ad morem Hebraeorum, sed ad morem Romanorum, qui Christum crucifixerant. Augustinus in *Psal. 33.* *Crura latronibus in cruce fregerunt, ut per ipsum dolorem compendio mortis ab ipso cruciatu liberarentur, quomodo solebat crucifixis fieri.* Isidorus *lib. 5. orig. cap. ult.* *Patibuli minor poena, quam crucis; nam patibulum appensas statim exanimat, crux autem suffixos diu cruciat.* Unde & in *Evangelio* latronibus, ut moverentur, & de ligno ante sabbatum deponerentur, crura confracta sunt: quia de ligno suspensi cito mori non poterant.

V. 34. *Sed unus Militum lancea latus ejus aperuit.*

Milites spiculatores erant cum lanceis. Suetonius in *Claudio cap. 35. v. 2.* *Neque convivia inire ausus est, nisi ut spiculatores cum lanceis circumstarent.* Et ita Vespasianus habuit *λογχοφόρος* apud Joseph. *lib. 3. de bello Judaico cap. 8.* *Lanceam ferentes, seu lancearios.* Cum igitur satellites isti de damnatis supplicium sumebant, lanceas gestabant, & crucifixorum latus lancea fodiebant, ut citius morerentur; vel ut deprehenderent, an crucifixi essent mortui. *Eunque morem Romanum fuisse, refert Origenes tractat. 35. in Matthaeum.* Porro non improbabiler dicitur, militem istum, qui lancea latus Christi aperuit, fuisse Centurionem. Nam cum Centurio ex more, recitare deberet Pilato, factum esse quod imperasset, (*Tacitus lib. 1. annal. 6. v. 5. Nunciante Centurioni, ut mos militiae, factum esse, quod imperasset*) renunciare debuit mortem, cui Christus addictus fuerat, securam esse. Antequam id renunciaret, certo scire debuit, Christum esse mortuum. Quod ut exploraret, lancea latus aperuit, sive eam gestaret, sive ab alio gestatam acciperet.

V. 38. *Rogavit Pilatum Joseph ab Arimathaea.*

Lege Majestatis damnati, *publicatis bonis, sepultura prohibebantur.* *Tacitus lib. 6. Annalium 29. v. 2. & L. 1. D. de cadaverib. punitor.* Pilatus Christum, ut regnum affectantem, ut turbas concitantem, ut seditiosum, supplicio crucis affecerat. Non frustra ergo dictum, quod Josephus in illa trepidatione & metu Pilatum audacter adiverit, *τολμήσας*, ut Marcus *cap. 15. v. 43. audens, fidens.* Hieronymus ad *cap. 27. Matthaei*, ideo ait. Josephum venisse audacter ad Pilatum, quia dives erat: *Nec pauperis & ignoti erat ad Pilatum Praefidem Romanae potestatis accedere, & crucifixi corpus impetrare.* Eandemque rationem affert Augustinus *lib. 3. de consens. Evangelist. cap. 22.* An quia Josephus erat Decurio, seu Senator, ut Marcus *cap. 15. v. 43.* eoque nomine gratiam apud Pilatum mereri potuit? An quia Josephus Senator Legum Romanarum non incius erat, quibus corpora animadvertorum ad sepulturam cognatis non negabantur jam a temporibus Augusti, ut ipse Augustus *lib. 10. de vita sua* scripserat. *Ulpianus d. L. 1. D. de cadaverib. punitor. Corpora eorum, qui capite damnantur, cognatis ipsorum neganda non sunt. Et id se observasse etiam D. Augustus lib. 10. de vita sua scribit. Hodie autem eorum, in quos animadvertitur, corpora, non aliter se-*

peliantur, quam si fuerit petatum, & permiffum: & nonnunquam non permittitur, maxime majestatis caufa damnatorum. Ea igitur ratione aucter Jofephus Pilatum adivit; quod, cum Chriftus majestatis damnatus effer, non timuerit, corpus Chrifti a Pilato petens; vel quod fperaret, fe poffe impetrare.

V. 38. Et permiffit Pilatus.

Supra Ulpianus in d. L. I. D. de Cadaveribus punitor. Eorum, in quos animadvertitur, corpora, non aliter fepeliuntur, quam fi fuerit petatum & permiffum. Permittit Pilatus, ut homini diviti, ut Decurioni. Primum cognatis tantum concessa punitorum cadavera. Ulpianus fup. Philo Judaeus in Flaccum, Quofdam cognatis ad honorem fepulturae redditos. Tandem vero corpora animadverforum quibuslibet petentibus ad fepulturam data funt, L. 3. D. eod. tit. de Cadaverib. punitor. Marcus Fab. Quintil. declamat. 6. Cruces fucciduntur, percuffos fepeliri carnifex non vetat. Et poftera: Neminem non mortalium favere hominis fepulturae convenit; quia haec una res eft, cujus exemplum ad omnes pertineat: ideoque non nifi ab ultimo parricidio exigitur poena trans hominem. Etiam fi qua funt jura, quae obftent, fi tamen anguftus faltem detur accelfus, per quem intrare humanitas poffit, vera clementia occifione (al. occafione) contenta eft.

V. 40. Et ligaverint illud linteis.

Mathaeus & Marcus involutum fuiffe findone munda. Auguftinus lib. 3. de confenf. Evangeliftar. cap. 23. Licet Jofepb involverit in findone: propterea non prohibetur intelligere, quod & alia linteae poftera addita fuerunt a Nicodemo; videlicet fudarium, quod capiti adhibebatur, & infitae, quibus totum corpus alligatum eft; unde etfi una findon fuit, veriffime dici potuit: Ligaverunt eum linteis: Linteae quippe generaliter, quia lino texuntur. Cum igitur corpus Chrifti findone, aliisque linteis involutum fuerit, inde contingit, ut plura Chrifti fudaria in diverfis locis reperiantur. Sudarium capiti Chrifti adhibutum Cadureci Aquitanorum religiofiffime affervatur, in quo & cruoris veftigia hodie constant; fed non fatis apparet, quo genere textrinae confectum fit.

V. 40. *Sicut mos est Judaeis sepelire.*

Cum aromatum conditura, vel condere terra secundum morem Judaeorum, non cremari secundum morem Romanorum, quo igni dare mortuos honor habebatur, Macrobius lib. 7. Saturn. cap. 7. Tacitus lib. 5. histor. 5. v. 7. de Judaeis. Corpora condere, quam cremare, e more Aegyptio. Idque vult Tacitus, Judaeos magis terra condidisse, quam cremasse secundum morem Romanorum. Plinius lib. 7. nat. hist. cap. 54. Ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti: terra condebantur. Minutius Felix in Octavio, de Christianis: *Veterem & meliorem humandi consuetudinem retinemus.*





N O T A E
A D
M A T T H A E I
C A P. XXVI. V. 15.

At illi constituerunt ei triginta argenteos.

NON numerant diffidentes, sed constituerunt ad praemium indicinae traditionis; ut acciperet, cum Christum eo loco, ubi suetus erat convenire,prehendendum indicasset. *Constituerunt*, id est, promiserunt; ut jurisconsulti constituta pecunia, id est, promissa.

V. 49. Et osculatus est eum.

Mos ille osculandi apud Judaeos Lucae *cap. 7. v. 45.* Romanis, & aliis gentibus usitatus, ut advenientes, & obvios osculo exciperent.

V. 53. Et exhibebit mihi plusquam duodecim legiones.

Respicit ad numerum duodecim Apostolorum, ut singulis Apostolis quaeque legio respondeat.

V. 65. Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua.

Mos Judaeis, ut si quid audirent contumeliosum, & ingratum auribus, vestimenta sua scinderent, *Numer. cap. 14. v. 6.* at nihil blasphemia in Deum contumeliosius audiri potuit: igitur, ea audita, vestimenta scindebant, *lib. 4. Reg. cap. 18. v. 37. & c. 19. v. 1. Esdrae cap. 9. v. 3. Act. cap.*

NOTAE

cap. 14. v. 14. Thalmudici libri referunt, id praeceptum fuisse Judaeis ex quadam traditione. At magis receptum videtur ex more, qui & aliis gentibus, Graecis, Romanisque non incognitus. Iidem vero libri Thalmudici referunt, Pontificem Maximum aliter a ceteris vestimenta sua scindere debuisse, non sursum ex humeris aut ad sinum, sed deorsum ad pedes & inferiores partes vestimenti.

V. 67. Et colaphis eum ceciderunt.

Vid. *not. ad Joan. cap. 18. v. 22.*

V. 69. Accessit ad eum una ancilla.

Vid. *not. ad Joan. cap. 18. v. 16.*

Ad Cap. XXVII. Matthaei.

V. 2. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Praefidi.

Prius Christus vinctus fuerat, cum eum prehenderant, Joannis *cap. 18. v. 12. Comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum.* Hic autem Matthaeus, & Marcus *cap. 15. v. 1. primum vincula injecta fuisse innuunt, cum eum à domo Caiphae ad Pilatum adducere voluerunt. Graece, & ligantes ipsum adduxerunt.* Quidam putant Christo exempta fuisse vincula, cum in domum Caiphae venisset, neque ex vinculis interrogatum fuisse. Magis videtur, Christum prius vinctum fuisse a turbis ut reum: deinde vero in domo Caiphae aliter vincrum fuisse, aliisve vinculis ut confessum criminis & damnatum morti. Venulejus in *L. 5. D. de custod. & exhibit. reor. Si confessus fuerit reus donec de eo pronuntietur, in vincula publica conjiciendus est.* Judaei Christum ut confessum, reum mortis pronuntiaverant & damnaverant. Matthaeus *infr. vers. 5. Videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset.* Igitur Judaei Christum in domo Caiphae, jam non ut reum, sed ut confessum & damnatum iterum vinxerunt. Hieronymus hic: *Habebant hunc morem, ut quem adjudicassent morti, ligatum judici traderent.*

V. 6. Non licet eos mittere in corbonam.

Sacer Thesaurus. Joseph *lib. 18. Antiquit. cap. 4. & lib. 2. de bello Judaic. cap. 18. Sacer Thesaurus, vocatur autem Corbona.*

V. 7.

V. 17. *Emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.*

Ut peregrini proprium haberent locum sepulturae, nec cum Judaeis miscerentur. Religiosum Romanis ut peregrini in civitate ut sepelirentur, adeo ut deportati (quos deportationis poena civitate exemerat, & ad peregrinitatem reducerat, *L. sed si. 10. §. sed si per poenam. 6. D. de in jus vocand.*) mortui in civitatem non referrentur, nisi ex indulgentia principali, ut apud Tacitum *lib. 14. Annal.* Non habebant mortui communem juris Romani, quam vivi non habuerant. Eadem religione Christiani Paganos in Coemeteriis suis humari non patiebantur: nec haeretici in suis Orthodoxos, ut Donatistae apud Optatum Milevitana *lib. 6.*

V. 15. *Per diem autem solennem consueverat Praefes populo dimittere unum vinetum, quem voluisset.*

Viderur Pilatus consuetudinem jam ab antiquo servatam magis retinuisse, quam de novo indulgisse: & id fecerat inter alia, quae Romani, Judaeis subactis, ex legibus & moribus patriis servarant. Vide *Not. ad Joam. cap. 18. v. 31. & 32.*

V. 19. *Misit ad eum, uxor ejus.*

Pilati uxor fuit *Claudia Procula*. Flavius Dexter in *Chronico: circa illa tempora Severus Caecinna censuerat in Senatu; ne quem magistratum, cui Provincia obvenisset, uxor comitaretur.* Inter alias rationes, quibus suam firmabat sententiam, apud Tacitum *lib. 3. Annal. cap. 33. v.* *His statim adhaerescere deterrimum quemque Provincialium: ab his negotia suscipi, transigi: duorum egressus coli, duo esse praetoria.* Sententia tamen Caecinnae in Senatu elusa est; & Legati Caesaris, seu Praefides Provinciarum secum uxores in Provincias duxerunt. At melius tamen facturos ait Ulpianus, si sine uxore proficiscantur, licet habere possint, *L. 4. §. 2. D. de offic. Procons. & Legat.* Pilatus secum uxorem in Judaeam duxerat: sed observa, ut Pilatum pro tribunali sedentem interpellare non dubitavit. Suggestionem vocat uspiam Augustinus, Proprie, nam *suggere* Jurisconsultis est monere judicem, dum cognoscit, *L. 2. §. 2. D. ubi pupill. educar. vel mor. deb. L. 1. §. si curato-*

ratores. D. de Magistrat. conveniend. L. Aufidius. 97. D. de legat. 3. L. ult. D. de jur. fisci.

V. 24. *Accepta aqua lavit manus coram populo.*

Plerosque haudquaquam indoctos existimasse video, morem hunc Judaeorum fuisse, ut lotionem manuum se innocentes ostenderent, & ex eo more Pilatum manus lavisse. Ex antiquioribus Origenes hic, & alii scriptores nuperi. Sed vix probabile est, Pilatum hominem Romanum mores Judaeorum sequi voluisse. Mos quidem Judaeorum iste fuit, & paroemia forte Judaeorum, cum se innocentes testari velent: *Lavi inter innocentes manus meas, pro eo, quod est, innocentem me servari, non communicavi malo.* Suidas in verb. ἀθῶτος, ex Psal. 26. v. v. 6. *Lavabo inter innocentes manus meas.* Sed & aliarum gentium mos iste fuit, ut Graecorum. Scholiastes Sophoclis in *Ajace Masiophoro*, *Mos erat antiquus, quando caedem hominis, vel alias mactationes fecerant, aqua lavare manus ad expiationem pollutionis.* Fuit etiam mos Romanorum, quem a Graecis acceperant. Dionysius Halicarnassensis lib. 7. *Origin.* Servius ad 12. *Aeneidos ex Plinio: Inde Magistrate & sacrificaturi togam praetextam habent, & manus ablatas detergere lineis mantilibus curant.* Praeterea Clemens Romanus scribit lib. 2. cap. 52. *Judices sententiam mortis luros, manibus in solem sublatis, innocentiam suam testari solitos: & tunc probabile est manus abluisse, ut puriores manus in coelum tollerent.* Eum igitur morem Romanum Pilatus secutus videtur, cum accepta aqua manus lavit. Quod si verum est, *mantile lineum*, quo manus deterfit ex more Romano, (ut refert Servius) inter alia Dominicae Passionis instrumenta referri debuit, sicut æquiminale ἀρόματαρον.

V. 26. *Jesus autem flagellatum tradidit, ut crucifigeretur.*

Vid. not. ad Joan. cap. 19. v. 1.

V. 28. *Circumdederunt ei chlamydem coccineam.*

Vid. not. ad Joan. cap. 19. v. 2.

E

V. 32.

V. 32. *Hunc angariaverunt, ut tolleret crucem Jesu.*

Angariae vox Persica, Svidas in *verb. ἀγγαροι*, qua & Latini utuntur. Glossæ Isidori, *angario*, cogo. Et Jurisconsultis etiam angariari naves dicuntur, *L. viae. 14. D. de Veteran.* id est, cogi ad navigationem suscipiendam; ut homines angariantur, id est, coguntur ad iter suscipiendum. Proprie igitur interpret verit, ut & sup. Matthæi *cap. 5. v. 41.* Vid. *not. ad Joan. cap. 19. v. 17.*

V. 34. *Dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum.*

Graece *acetum cum felle mixtum*. Sed & quaedam exemplaria habent *οἶνον*, quibus responder versio Latina *Marcus cap. 15. v. 23.* *Et dabant ei bibere vinum myrrbatum*. Unde quaesitum est, an eadem fuerit portio vini myrrhati, & vini cum felle mixti, vel diversa. Utramque sententiam attingit Augustinus *lib. 3. de consens. Evangelist. cap. 11.* *Et dabant ei bibere vinum myrrbatum, & non accepit.* Hoc intelligendum est, *Matthæum dixisse cum felle mixtum.* Fel quippe pro amaritudine posuit; *myrrbatum enim vinum amarissimum est, quamquam fieri possit, ut fel & myrrba vinum amarissimum redderent.* Amaritudo etiam aceto augetur. Utrumque junxit Plautus in *Rudente: Corda in felle sunt sita, atque acerbo aceto.* Vid. *not. ad cap. 15. Marci. v. 4.*

V. 35. *Diviserunt vestimenta ejus.*

Vid. *not. ad Joan. cap. 19. v. 23.*

V. 45. *A sexta hora tenebrae factae sunt super universam terram.*

Phlegon Trallianus libertus Adriani Historicus scripserat, tenebras super universam terram eo tempore contigisse, Origenes *hic*, ut ex hoc Historiae Evangelicae fides habeatur, quam Porphyrius & alii Ethnici minuere contendebant, ut referunt Hieronymus ad *Psalumum 77.* & Augustinus *lib. 3. de Consens. Evang. cap. 7.* Phlegon ille Historicus res Judaicas attigerat, Svidas in *φλέγων*. Vid. *not. ad cap. 15. Marci. cap. 15. v. 33.*

V. 48.

V. 48. *Unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto.*

Unus non ex Judaeis, sed militibus Romanis, qui Christum crucifixerant, & crucifixum servabant. Neque milites acerum obtulerunt ex more quodam Judaeorum, sed quia Christus vocem illam *Sitio* emiserat. Vid. *not. ad Joan. cap. 19. v. 29.*

V. 54. *Centurio, & qui cum eo erant custodientes Jesum.*

More Romano Centurio praeponebatur, dum supplicium damnatis inferretur, L. Seneca *lib. 1. de Ira, cap. 17. Centurio supplicio praepositus condere gladium speculatorum jubet.* At si damnato Christo ad eum cohors univcrsa congregata fuit (ur supra Matthaeus) non unus tantum Centurio, sed plures cohortis Centuriones fuerunt. Christo autem crucifixo unus Centurio mansisse videtur cum militibus, ut Christum & latrones custodirent, donec spiritum emitteret; vel ne quis ad sepulturam corpora detraheret eo mortuo. Petronius in *Satyrico*: *Miles, qui cruce asservabat, ne quis ad sepulturam corpora detraheret.* Idem ille fuit Centurio, quem Pilatus accersivit, ut sciret ab eo, an Christus esset mortuus, antequam permitteret tolli corpus, Marci *cap. 15. v. 44.*

V. 63. *Recordati sumus, quia seductor ille dixit.*

Graece *πλάνος* impostor. Joannis *cap. 7. v. 32. πλανᾷ τὸν ὄχλον, seducit turbam.* Lucae *cap. 23. v. 2. εὗρομεν διαστρέφοντα τὸ ἔθνος, invenimus subvertentem gentem.* Eoque nomine potissimum accusatus & damnatus, ut seductor, ut seditiosus.

V. 65. *Habetis Custodiam.*

An totam cohortem, quae ad Christi prehensionem ex Templo accesserat, quaeque ad Christum damnatum congregata fuerat? An potius *custodiam* intelligere debemus custodes, qui relictii fuerant, ut Christum custodirent? Quod magis videtur; & ideo secundum versionem Latinam τὸ ἔχετε magis accipiendum indicative, quam imperative, quia jam custodes Christo crucifixo dati fuerant.


BATION

E 2

V. 66.

V. 66. *Signantes lapidem cum custodibus.*

Puto, quod Judaei simul lapidem cum custodibus signaverint, vel in praesentia custodum, vel quod Judaei positis custodibus lapidem signaverint. Custodes Christo crucifixo dari vigilias ex disciplina militari per tria horarum spatia observabant; ideo quidam ex custodia venisse dicuntur in urbem, & nunciassse Principibus Sacerdotum omnia, quae facta erant, Matthaei cap. 28. vers. *Quidam de custodiis.* Non omnes custodes, sed quidam solum ex custodia, id est, qui vigilias per noctem obiverant, & omnia, uti erant facta, observaverant.





N O T A E
A D
M A R C I

CAP. XIV. V. 3.

Venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi.

GRAECE ἀλάστρον μύρα, γάρδα πισικῆς πολυτελέεσ.
Quidam interpretantur *nardum pisticam*, id est, potabilem & liquidam, παρὰ τὸ πιεῖν. Sed aliud est *πισή*, aliud *πισικῆ*; & παρὰ τὸ πιεῖν recte quidem *πισή*; non tamen recte *πισικῆ* diceretur. Alii *pisticam* accipiunt spicatam, quod ex spicis Nardi unguentum pretiosum conficeretur, idque ex corrupto Graeco exemplari. Sed verius est, *nardum πισικῆν* dici, id est *fidelem*, *probatam*, non adulteratam à seplasiariis; ut argentarii homines *πισικοὶ* à fide.

V. 56. *Convenientia testimonia non erant.*

Graece ἴσαι, *paria*. In hoc autem non conveniebant; quod apud Matthaeum accusarent, Christum dixisse, possum Templum destruere, & aliud restituere: Hic vero apud Marcum, quod minatus esset, se Templum destructurum, & intra triduum illud ipsum restitutum. Aliud est, quod quis se posse facere, aliud, quod quis se facturum, dixerit: istud postremum voluntatem arguit, quae in delictis gravioribus punitur secundum leges Romanas. Servius ad 6. *Aeneid.* *Dixit autem secundum ritum Romanum, in quo non tantum exitus, sed voluntas punitur.* Callistratus in *L. Divus. 14. D. ad L. Cornel.*

de sicar. Divus Hadrianus in haec verba rescripsit: in maleficiis voluntas spectatur, non exitus. Idque etiam secundum leges Judaicas. Philo Judaeus in lib. *Quod deterior potiori infidietur*, ita legem interpretatur, *maledictum esse homicidam*: Non ex quo homicidium fecerit, sed ex quo facere voluerit: *quasi voluntas pro facto habenda sit*. Idem Philo Judaeus in lib. *de confus. linguar.* ait, reum esse homicidii ex lege, si conatus fuerit occidere, licet non occiderit.

V. 65. *Et ministri alapis eum caedebant.*

Graece *πατίσματος*, colaphis, vel bacillis, festucis. Et hoc potest ita intelligi, ut cum alii colaphos Christo infligerent, ministri Judaeorum bacillis, quos gestabant, etiam Christum ceciderint. Vid. *not. ad Joan. cap. 18. v. 22.*

AD CAP. XV. V. 23.

Et dabant ei bibere myrrhatum vinum.

ANXIE quaesitum à scriptoribus aetatis nostrae pluribus, quidnam fuerit illud vinum myrrhatum, & cur Christo oblatum fuerit. Graeca lectio sic habet *ἐσμυρρητισμένον οἶνον*, id est, *myrrha conditum*, non in vase myrrhino positum. Et vinum quidem illud amarissimum fuisse, scripsit Augustinus lib. 3. *de consens. Evangelist. cap. 11.* Romanis tamen myrrhata potio sumptuosa, ut quae XII. Tab. vetita; & grati saporis, & lautissima, ut Plinius lib. 14. *cap. 13.* Sed aliud vinum istud myrrhatum Christo oblatum fuisse, viri docti suspicantur, nempe soporiferum, quod vinum confopiens Hieronymus dixit in *Psal. 59.* & vinum myrrhatum Christo datum fuisse, ut confopiretur, idem Hieronymus innuit in *Matthaei cap. 27.* Vinum autem hujusmodi ex more Judaeorum, eaque de causa supplicium passuris offerri solitum, Rabbinii scribunt ex *cap. ult. Proverb. v. 6. 7.* non tamen myrrha, sed thure conditum, quia scilicet thus pro myrrha acceperint. Et hoc quidem facile probarem; sed & vinum myrrhatum Christo oblatum felle & aceto mixtum fuisse, ut supra ostendimus in *Notis ad Matthaei cap. 27.* ita ut Matthaeus suppleverit, quod hic apud Marcum deest. Mulieres fortè, vel alii Christum sequentes vinum myrrhatum Christo offerendum militibus dederant, aut soporiferum, ut dare solitum erat, & illud quidem suave: milites verò per lasciviam, vel impellentibus Judaeis, myrrhato vino fel & acetum

mis-

miscuerunt, ut amaritudinem injicerent, atque ita acetum felle mixtum juxta Matthaeum, & vinum etiam myrrhatum juxta Marcum, non diversis temporibus, sed simul eodemque tempore Christo oblatum fuerit. Vide Victorem Antiochenum ad hoc *cap. 15. Marci, in Biblioth. PP. Latinor.*

V. 25. *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum.*

Locus difficilis propter eam, quae videtur esse inter Marcum & Joannem pugnantiam. Nam Joannes *cap. 19. v. 14.* refert, Pilatum morti addixisse, & postea subjicit: *Erat autem parasceve Paschae hora quasi sexta.* Hieronymus ad *Psal. 77.* putat hic apud Marcum mendum esse librarii ex nota numeri: aliter tamen in commentariis in Marcum, ubi lectionem vulgatam Marci agnoscit ut veram & propriam. Ex quo apparet, commentarios illos male tribui Hieronymo, alioqui a scripto dissideret. Theophylactus putat esse mendum, non apud Marcum, sed apud Joannem; & ita legendum: *Erat autem Parasceve Paschae hora quasi tertia.* Nonnus in *paraphrasi metrica Joannis cap. 19.* horam tertiam ponit, & ita legisse videtur apud Joannem, est verum est, quod ex Petro Alexandrino refertur in *tract. de Paschate*, autographum manu propria Joannis descriptum, quod in Ecclesia Ephelina servabatur, ita scriptum habuisse: *ὥρα ἢ ὥρῃ τῆσιν, hora erat quasi tertia.* Nihil dubitationis superest, quin Joannis locus in vulgata editione potius quam Marci mendum habeat. Magis videretur, Christum hora sexta, aut fere sexta crucifixum fuisse, quam hora tertia, quia ductus fuit e domo Caiphae ad Pilati Praetorium mane facto, jam albescente coelo, & in eo Matthaeus, Marcus, & Joannes consentiunt. At ductio illa Christi ad Pilatum cum turbis & militibus, interrogationes Pilati toties repetitae, testium auditio, illusiones Christo factae, coronae spineae impositio, flagellatio, vestium mutatio, ductio ad Herodem, & reductio ad Pilatum, sessiones pro tribunali, sententiae & tituli scriptio, manuum ablutio, ductio ad supplicium extra civitatem, Christi ex poenarum inflictione, & crucis pondere tardigrada processio, myrrhati vini oblatio, apparatus supplicii, crucifixio, ista omnia vix tribus horis peragi potuerunt: maxime cum Pilatus frequentes moras innecteret, & sententiam de morte Christi ferre cunctareretur. Deinde conjicitur, Christum post crucifixionem cito mortuum fuisse: idque miratus est Pilatus, *Marci cap. 15.* quod ita miratus non fuisset, si

ab

ab hora tertia Christus ad nonam pependisset. Non desunt aliae conciliandi rationes, ut Marcus & Joannes in concordiam adducantur; scilicet Marcum non respexisse ad vulgarem horarum computationem, sed ad divisionem dici in quatuor partes, ut nox dividebatur in quatuor vigiliis. Secundum istam computationem quaelibet pars diei tribus horis constabat, prima hora ad tertiam, tertia ad sextam, sexta ad nonam, nona ad vesperam protendebatur. Ita igitur Marcus diceret, Christum fuisse crucifixum hora tertia, Joannes hora quasi sexta: puta, tertia jam praecipitante, & ad sextam accedente. Quod & fortasse Nonnus expressim signare voluit.

Ἦν δὲ τριτωμὲνη τρίτη θανατηφόρος ὥρη: 3

Erat autem extensa tertia mortifera hora.

Et quidem erat extensa tertia, quae ad sextam accedebat. Hanc computationem horarum quadrantariam verba Marci non patiuntur: qui simpliciter dixit, *Erat hora tertia*, id est, tertia hora diei, ut *Act. cap. 2. v. 15.* Augustinus *lib. 3. de consens. Evangelist. cap. 13. & tractat. in Joan. cap. 117.* alias rationes comminiscitur; ita tamen ut alias adhuc quaerendas non diffiteatur. Sed & quidam apud D. Marcum horam tertiam diei intelligunt, quae est hora sexta ante Parasceven apud Joannem, si quidem Parasceve incipiebat hora nona, Joseph, *lib. 16. Antiquit. cap. 10.* Ita igitur tertia hora diei, quo crucifixus est Christus, esset sexta hora ante Parasceven, seu horam nonam. Semper tamen magis probarem, Christum hora sexta, aut fere sexta potius, quam tertia crucifixum.

V. 26. *Et erat titulus causae ejus inscriptus.*

Vide *Not. ad Joann. cap. 19. v. 19.*

V. 33. *Facta hora sexta, tenebrae factae sunt per totam terram.*

Si Christus fuit damnatus sententia Pilati hora sexta, aut fere sexta, ut refert Joannes *cap. 19. v. 14.* tenebrae hora sexta factae non sunt, ut hic Marcus. Nam inter damnationem Christi, ductionem ad supplicium, crucifixionem, & alias res gestas donec tenebrae fierent, tempus aliquod nec parvum interjectum esse debuit. Dici potest, Joannem intelligen-

dum

dum de hora sexta futura, Marcum de praeterita, ut ipsa verba Marci indicant *facta hora sexta.*

V. 36. *Currens autem unus, & implens spongiam aceto.*

Vide *Not. ad Joan. cap. 19. v. 29.*

V. 43. *Joseph ab Arimathea nobilis Decurio.*

Graece *Ξαλευτής*, & apud Lucam *cap. 23. v. 50.* id est, *Senator Buleutae* ex Senatu, Plinius *lib. 10. Epist. 115.* Recte tamen interpretis vertit, *Decurio*; nam Decuriones in Provinciis erant Senatores. *Proprius Senatus*, Aufonius *Idyll. 9. mimor Senatus*, Calliodorus *lib. 6. variar. Epist. 3.*



F

NOTAE



N O T A E

A D

L U C A M

AD CAP. XXII. V. 71.

*Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus
de ore ejus.*

JUDAEI Christum damnarunt ut manifestae impietatis reum, & confessum, *quod filium Dei se fecisset*: & ideo damnarunt, anrequam ad Pilatum ducerent, Matthaei cap. 27. scilicet ut confessum. Tertullianus *Apologetic. cap. 2. leges confessos damnari praescribunt*: hoc Senatus consulta, hoc Principum placita definiunt.

AD CAP. XXIII.

V. 2. *Prohibentem dare tributa Caesari.*

PROCURATORUM Caesaris id munus potissimum fuit, ut tributa in Provinciis colligerent: & Pilatus Procurator Tiberii in Judaea ideo imperium merum in ea Provincia videtur habuisse, ut Judaeos pervicaces, & tributa solvere detrectantes puniret. Vid. *Not. ad Joan. cap. 19. v. 10.* Post id temporis, Praefectis Praetorio constitutis, eorum munus fuit. Zosimus *lib. 4.* deinde etiam Comitum sacrarum largitiorum: Macarius Aegyptius *homil. 10. Praefecti, & Comites tributa dant Regi, seu Imperatori*; id est, curant, ut dentur, aut quae data sunt, inferunt.

P. 7.

V. 7. *Et ut cognovit, quod de potestate Herodis esset, remisit eum ad Herodem.*

Præsides poterant jure potestatis suae noxios punire, ex quacun- que essent Provincia, sed quidam observabant, ut remitterent ad Præsidem Provinciae, ex qua rei oriundi essent. Celsus in *L. non est dubium. 10. D. de custod. & exhibit. reor. Non est dubium, quin, cujuscumque Provinciae est homo, qui ex custodia producitur, cognoscere debeat is, qui ei Provinciae praest, in qua Provincia agitur. Illud a quidam observari solet, ut cum cognovit & constituit, remittat illum cum elogio ad eum, qui Provinciae praest, unde is homo est, quod ex causa faciendum est.*

Pilatus quidem de Christo cognovit, sed antequam constitueret, & sententiam ferret, ad Herodem remisit: scilicet ut majorem ab Herode iniret gratiam. Ita Vespasianus cum imperio agens in Judaea, postquam Tarichaeas civitatem, quae a Romanis defecerat, expugnavit, pluribus punitis, permisit Agrippae facere quod vellet his, qui ex regno ipsius essent. Joseph. lib. 3. de bell. Judaic. cap. ult.

Supplendae sunt Notae ad Matthaeum, Marcum, & Lucam ex notis Joannis, quae sunt praepositae ut pleniores.

F I N I S.



DESIGNATIO
COLLEGIORUM

QUAE

13tia Novembris 1769. inchoantor.



PRAELECTIONES AD INSTITUTIONES.

PER totum annum Academicum *diebus lunae, Martis, Mercurii, & Jovis ab hora 10. ad 11. à mane* legam ad Libellum Scholasticum Antecessoris Caesareo Regii de MARTINI, scilicet ad *textum Institutionum, parvis Notis VINNII illustratum.*

COLLEGIA
EXAMINATORIA.

OMni die Veneris, ab hora 10. ad 11. pomeridiano tempore, examinabuntur Domini Auditores ex Collegiis praecedentibus, in primo Collegio *Dominus Bongards* recitabit Historiam Juris Civilis per Epochas, ante sequentia Collegia, omni die Jovis finito Collegio, distribuem quatuor titulos praecedentium Collegiorum, altera die, quilibet generalia sui tituli, & de materia, & Ideia Juris Romani respondebit, aliis assignabo specialem quandam conclusionem, de qua ex principiis spe-

specialibus, Juris Peregrini respondebunt, & reflectionem addent, de usu & applicatione in germania nostra.

COLLEGIA DISPUTATORIA.

OMni die Sabathi, ab hora statuta 10. ad 11. Disputationes Scholasticae, in quibus tantummodo disputabitur, de definitionibus in Institutionibus relatis Juris Romani, defendent opponentque 2di anni institutitae, & quatenus id humeri ferunt, 1mi anni acriter studentes, ita in 1mo Collegio Disputatorio *A.R.D. Can. Linden*, defendet definitionem Justitiae adductae à JUSTINIANO, proponendo *Justitia; est constans & perpetua voluntas suum cuique tribuendi*. Breviter simili & ampliori modo ratiocinabit pro fide probationis, Justitia est virtus, injustitia est vitium, Virtus nihil est aliud, quam constans & perpetua voluntas, & quidem illa, quae in effectu suum cuique tribuit, est Justitia illa Civilis Juris Romani. Ergo bonitas definitionis probata. Argumentum opponens *Dominus Secretarius Ebl.* ita formabit. Illa definitio non quadrat temporibus JUSTINIANÆIS, neque nostris, ergo non potest defendi. Probat, illam definitionem mutavit JUSTINIANUS ex *L. 1. ff. de J. & J.* cujus legis auctor est ULPIANUS, qui illam desumpsit ex Philosophia Stoica, Philosophi enim Stoici sustinebant cum pertinacia, Virtutem esse solam illam constantiam, & perpetuam voluntatem, nunc vero pertinacia est vitium, quis vero dicit dogmata Philosophiae pertinacis Stoicae posse JUSTINIANÆIS, multominus nostris moribus applicari. At Respondetur ULPIANUS insinuare voluit, Jctum debere esse virtuosum, adeoque possidere constantiam, non pertinaciam, quam Jcti Stoici, ad jus transeuntes, temperarunt cum sapientia, prudentia, & scientia, qua jus suum docebant, sine respectu personarum, cuique tribuendum, *suum cuique*, ex Jure in re, *suum* ex Jure ad rem, *suum* ex delicto.

CRISIS PROFESSORIS SCHOLASTICA
AD PRAECEDENS COLLEGIUM DISPUTATORIUM.

Non adeo pertinaciter, Stoici sententiis Decretivae inhaerebant; sed ab his facile, vel re acuratius inspecta vel meliori ratione suadente recedebant, exempla legalia ex sententiis Jctorum qui celebrantur in Pandectis plena manu adduxit MERILLIUS *obs. I. cap. IX.* LUCIUS SENECA *epist. 89.* refert, *Philosophiam quoque fuerunt, qui aliter, atque aliter deservirent; alii illam studium virtutis esse, alii studium corrigendae mentis.* Dicamus & nos Jctorum Philosophiam, simul quam maxime debere esse studium corrigendae mentis, prout contra SCHAUMBURGIUM & HEINECCIUM optime defendit L. B. de CRAMER tom. 3. *obs. 901.* Etenim mente omnis civis correcte riteque disposita, omnia in mundo beate feliciterque procedent, qui est Univerſi juris & Justitiae

FINIS.



IN PRAEFATIONE NOVA GILGENSIANA.

Errata.

Loco, Dominide Martini *lege*, Domini de Martini.
Antecessoris Beruticensis, *lege*, Bituricensis
Sed & incipientibus, *lege*, sed incipientibus.

IN MERILLIO

Errata.

Loco, pag. 6. non ut Florus pro tribunali. *adde* *federet*.
Pag 7. & velle purpurea indutum, *lege*, veste purpurea.
Pag 9. Leges Romenas, *lege*, Romanas.
Pag. 10. nec Partibus Praefidi, *lege*, Praefidis.
Pag. 11. matulae, *lege*, maculae.
Pag. 15. ficariorum, *lege*, ficariorum.
Pag. 16. innuit eundem Pilatum scripserit, *lege*, scripisse.
Pag. 17. qui timere juraverat, *lege*, qui temere juraverat.
Pag. 28. nam suggere Jurisconsultis est, *lege*, suggerere.
Pag. 29. togam praetextom, *lege*, praetextam.
Pag. 35. pto tribunali, *lege*, pro tribunali.

IN SPACIO TONNE NOVA CIL GENA

Index

Loco, Dominus Martinus legi, Dominus Martinus

Ante altare Petrus legi, Antea altare

25. 2. Antea altare, Antea altare

IN SPACIO

Index

Loco, pag. 6. non est Petrus pro tribunali, sed abover

Pag. 8. velle pult. non aduenda, sed velle pult.

Pag. 9. Leges Romanas, Leges Romanas

Pag. 10. non est iudex Petrus, sed Petrus

Pag. 11. magister, sed magister

Pag. 12. mandatum, sed mandatum

Pag. 13. mandamentum, sed mandamentum

Pag. 14. mandamentum, sed mandamentum

Pag. 15. mandamentum, sed mandamentum

Pag. 16. mandamentum, sed mandamentum

Pag. 17. pro tribunali, sed pro tribunali

216







Je 1272

VD18


ULB Halle
008 331 898

3



16





B.I.G.

Farbkarte #13

20

MUNDI MERILLII
URISCONSULTI, REGIS CHRISTIANISSIMI
CONSILIARII ET IN ACADEMIA BITURICENSI
ANTECESSORIS FAMIGERATISSIMI
AE PHILOLOGICAE
IN
IONEM CHRISTI

PRÆFATUS EST
IUS JOSEPHUS GILGENS JC.
IN ALMA
S STUDII COLONIENSIS AD RHENUM
UNIVERSITATE
FESSOR JURIS CIVILIS.



Je 1272

COLONIÆ FRANCOFURTI ET LIPSIAE
FFICINA METTERNICHIANA.
MDCCLXX.

